67

ΒΑΒΡΙΟΥ ΜΥΘΙΑΜΒΟΙ.

BABRII FABVLAE IAMBICAE.

PARISIIS. — EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FR
INSTITUTI REGII FRANCIÆ TYPOGRAPHI, VIA JACOB, 5

Babrius

ΒΑΒΡΙΟΥ ΜΥΘΙΑΜΒΟΙ.

BABRII

FABVLAE IAMBICAE CXXIII

IVSSV

SVMMI EDVCATIONIS PVBLICAE ADMINISTRATORIS

ABELI VILLEMAIN

VIRI EXCELL.

NVNC PRIMVM EDITAE

IOH. FR. BOISSONADE LITT. GR. PR.

RECENSVIT LATINE CONVERTIT ANNOTAVIT

« Πολλὰ ἐν μύθοις ἐσπούδασται ».
Julian. Cæs.

PARISIIS,
APVD FIRMIN DIDOT FRATRES,
VIA JACOB, 56.

MDCCCXLIV.

ABELO VILLEMAIN V. EXCELL.

PARI FRANCIAE

SVMMO EDVCATIONIS PVBLICAE ADMINISTRATORI

QVAS MIHI COMMISIT EDENDAS

BABRII FABVLAS

VT POTVI DILIGENTISSIME PRO TEMPORIS ANGVSTIIS

ET DOCTRINAE TENVITATE RECENSITAS ET EDITAS

REDDO DO DEDICO

FVTVRAS

OBSERVANTIAE SVMMAE

ATQVE

PROMPTISSIMI OBSEQVII

TESTIMONIVM.

EDITORIS PRÆMONITIO.

De Babrii Fabulis in monasterio Montis Atho reper
multus est ab anno et amplius sermo inter Europæ civ
eruditos.

Quis illas invenerit, et ubi, brevissime narrabitur

Eruditionis antiquæ promovendæ causa, Summ
Educationis Publicæ Administrator, *Ab. Villemai*
V. Excell., in Græciam ante annos quatuor K. Μινωΐδ
Μηνᾶν misit, codices manuscriptos investigaturum an
quitate insignes et integritate, ineditos præsertim qu
nomen auctoris commendaret, aut ætas, aut argume
tum. In primis est Μηνᾶς tali par negotio, homo et Gr
cus et doctus. Namque fuit olim Serris in schola patr
philosophiæ professor ac rhetoricæ; et ex quo, relic
Macedonia, Parisiis habitat, libris ostendit non pau
quantum in literis valeat.

Codices Μηνᾶς, dum literariæ legationis officium ol
ret, plurimos inspexit, excerpsit, descripsit, quoru
recensum ab ipso institutum legere (1) pretium erit op

(1) Reperitur in Conspectu Bibliographico Milleri et Aubenatis vv. dd. t. 5, p.
Unam obiter de uno codice animadversionem addere lubet obiter. Tertius co
hisce designatur verbis : « Quelques maximes d'Ésope inédites et inconnues jusq
« ce jour. Manuscrit sur parchemin qui date du Xe siècle, et se compose de 40
» ges in-4°. Ces maximes sont en petit nombre; quelques-unes ont conservé la
« sure lyrique; dans les autres la mesure a été rompue par les copistes : mais
« peut encore y distinguer le rhythme poétique. Le même man. contient quelq
« autres maximes dont plusieurs inédites, d'Hippocrate, d'Hermippus, d'Évagri
« de Démocrite, de Sextus, d'Isocrate et des Pères de l'Église ». In illo codice qu
mecum communicavit humanissime vir d., nihil est lyrici, quod moneo ne fragm
torum eruditissimi collectores thesaurum reperisse se putent, atque disjecta Alc
Sapphonis, Ibyci, Stesichori membra ibi latere arte sua concinnanda. Codex i

ræ, quamvis careat (fabor enim libere quod sentio) ea narrandi diligentia et accurata auctorum ac librorum notitia, quæ relationum id genus fidem augent et utilitatem. Sed Græci homines diffusam illam occidentalium eruditionem nondum æmulantur, quibus nihil negligitur, ne ea quidem quæ minima sunt aut esse videntur. Ceteros inter codices eminet maxime Babrianus, quem Μηνᾶς in Bibliotheca Sanctæ Lauræ Montis Atho (1) reperit, imo detexit, atque de latebra pædore plena ac sordibus marcentem extraxit fœdumque. Qua de re mihi benignissime utendam permisit et describendam diarii particulam, eamque in imo margine appono (2) ipsis ejus

qui paginis constat 48, continet Georgidæ, nec prorsus evanido monachi nomine, Gnomologium, quod ante annos hosce quindecim primo Anecdotorum Græcorum inserui volumini. Libro Parisiensi multum præstat quo ad editionem meam sum usus; sed est magna sui parte mutilus, quippe qui desinat, media litera my, in verbis ὀλιγοχρόνιος θάνατος mihi p. 59. Nonnusquam in commentario Babriano codicem Georgidæ novum ad partes vocavi.

(1) De Montis Atho monasteriis, et peculiariter de S. Laura, prodiit nuper in Conspectu Bibliographico Milleri v. d. t. 4 et 5, narratio a Braconnerio Loyolita Patre scripta a. 1706, monachicis quidem ineptiis scatens, sed ex qua tamen plurima tollere possis. Videtur non nitidissima vel sua vel librarii manu usum fuisse; unde irrepserunt menda nonnulla non mediocria, hocce, verbi causa, t. 4, p. 949: Apostolorum hospitium « qu'on nomme dans le pays *quierasia*, à cause de la « grande quantité de couriers qui sont en cet endroit ». Corrigendum suspicor, « *querasia* » (κερασιά), et « cerisiers ». Quod firmatur Jo. Comneni Descriptione Montis Atho p. 458 : κατὰ δὲ τὸν δρόμον, ὅπου ὑπάγει ἀπὸ τὴν ἁγίαν Ἄνναν πρὸς τὸ μοναστήριον τῆς ἱερᾶς Λαύρας τοῦ ὁσίου Ἀθανασίου εὑρίσκονται... ἡ κερασία ὅπου καὶ παρακλήσιον τῶν ἁγίων Ἀποστόλων. Rursus t. 5, p. 60 : Monasterium τῆς Μεταμορφώσεως « est situé au milieu des montagnes à une bonne portée de mourques du « bourg ». Legendum videtur « portée de mousquet ».

(2) « L'histoire du manuscrit, qui contient les Fables d'Ésope versifiées par Balébrias [vid. p. 2], est celle-ci. Dans le couvent de *Laura*, à Mont-Athos, il y a deux bibliothèques, une petite et une grande. La première contient des manuscrits tout à fait abandonnés et jetés pêle-mêle, la plupart pourris par l'humidité et les ordures des animaux, au point que les Vies des hommes illustres par Plutarque, ouvrage manuscrit dont l'Allemand Zacharias parle dans le traité de son voyage qu'il fit il y a huit ans au Mont-Athos, manuscrit alors complet, je l'ai trouvé tout à fait abîmé; il n'avait plus que dix cahiers; en grande partie les feuilles étaient collées et pourries. Tous les autres manuscrits étaient dans un état pitoyable. Je travaillai dans cette bibliothèque quinze jours, accompagné d'un diacre, nommé Gabriel, en

verbis, quæ maluit adhibere gallica ; equidem græca ma luissem. Est enim Μηνᾶς orationis græcæ artifex eximius Quod quam vere dixerim monstrat Προθεωρία præmiss Galeni libello de Dialectica, quem nuper edidit typi Didotianis, dialecticus ipse valentissimus.

Dolendum est Babrianum librum tam feliciter inven tum non exportatum fuisse Parisios. Sed οἱ ἁγιορεῖτο pretium poscebant immane, et describere Μηνᾶς necess habuit quem non potuit emere. In novam vero legatio nem profectus, vel mox profecturus, sibi illum comparar πάσῃ μηχανῇ, τουτέστι πάσῃ τιμῇ, conabitur.

Interim apographo usus, Babrium eo mihi video modo recensuisse, ut pauci supersint loci in quibu lector hæreat, græce doctus, et satis literatus. Atqu magnam ingenii et elegantiæ famam, quam Babrian nomini fragmenta brevia et numero exigua conciliave rant, augebunt multum (id enim fiduciæ habeo) maxi

feuilletant tous les manuscrits, que j'ai nettoyés autant qu'il m'était possible; et j' mis des étiquettes et des numéros à ceux qui m'ont paru de quelque intérêt. Il avait un plancher, qui occupait la moitié du parterre de la bibliothèque, en form d'un sopha. Les planches d'au-dessus étaient mouvantes, et le devant du planch ouvert; l'au-dessous était plein de poussière et des ordures d'animaux. Ayant ex miné tous les manuscrits, je me suis fourré sous le plancher, malgré la résistan des moines, qui s'y trouvaient. Ils me disaient qu'il n'y avait rien, et que je me s lirais inutilement. Cependant j'en ai extrait quinze manuscrits : un Denys d'Aré page, grand in-8°, *membr.*, avec des notes abrégées sur les marges; un autre, Hi toire des animaux, par Élien, incomplet et pourri vers la fin, *chartaceus;* autres treize encore, parmi lesquels se trouvait le manuscrit en question, abîm vers le commencement et vers la fin. La dernière feuille était un lambeau, qui co tenait les six derniers vers; le verso était embloqué d'un papier collé et pourri. I première partie de ce manuscrit contenait les Histoires fabuleuses dont saint Gr goire de Nazianze fait mention dans quelques-uns de ses discours. La partie su vante contenait [les Fables] en quatre-vingt pages in-8°, de la même grandeur q la copie que j'eus l'honneur d'envoyer à M. le Ministre [altitudo apographi e cm. 18; latitudo cm. 13]; plusieurs de ses feuilles étaient récrites. L'écriture m paru être du Xe siècle. Le ι n'y était pas souscrit sous les voyelles α η ω, mais pla du côté droit : par exemple, αι ηι ωι, pour ᾳ ῃ ῳ. Toutes les affabulations étaient lettres majuscules. Il y avait plusieurs mots, dont quelques lettres étaient effacée que j'ai déchiffrées et transcrites avec beaucoup de peine ».

mamque facient fabulæ novæ numero centum et viginti tres; grande opus, unde ars poetæ et orationis scitus lepos recte queunt æstimari. Neque illi poterunt nocere rari versus, de quorum scriptura dubitabit lector criticus, quos sanabit forsan felix divinatio, vel codex alius.

Exspectandum enim trium saltem codicum auxilium.

Emetur codex Sanctæ Lauræ, vel poterit diligenter, data occasione, cum editione conferri.

Exstitit in bibliotheca Sanctæ Mariæ Grottæ Ferraræ, haud procul Tusculo, codex sæculo undecimo ineunte exaratus, in quo P. Romolinus inter varia opuscula mythica vidit triginta fabulas Æsopias « versibus iambicis vel potius scazontibus » ligatas. Romolini verba dissertissima reperire est in Noribergensibus Murrii Ephemeridibus, ann. 1789, unde fuerunt exscripta ab Harlesio in Bibl. Græca, t. I, p. 635, qui Babrii versus esse nullus dubitat; ex Bibliotheca Gr. illa repetunt Schwabius Notitia de Phædro, p. 60, Knochius Editione Babrii, p. 25. Rogatus a me *Ab. Villemain*, vir excell., inquiri curavit de eo codice; et responsum tulit fuisse circa finem sæculi superioris a bibliotheca Mariana Grottæ Ferratæ ablatum. De loco in quem sit translatus nunc fit investigatio.

Tertius exstat in Hispania codex, b. Knustio inspectus, quemque se *forsan* descripturum esse dicebat literis ad Pertzium virum eruditiss. Matrito datis d. 24 febr. a. 1841, paucis ante mortem mensibus; nam Parisiis diem supremum obiit vir desid. d. 9 m. octobris ejusdem anni. Certior autem factus sum, Babrii causa, etiam mei, quæ est viri d. humanitas magna, Pertzium Knustianas schedas sedulo esse pervolutaturum; et, si quæ reperientur ad Babrium pertinentes, mecum communicatum iri.

Non deerunt igitur auxilia critica. Quod si menda ı manserint nullo pacto emendabilia (verbi causa, spond τε ζῶν τὸ ζῆν male inlati quartæ sedi), poetæ ipsi ve tentur vitio; quidni? peccant poetæ vel optimi; pecc verit græce scribens homo latinus. Nam poetam cui n men Babrio, Valerio Babrio, natione et lingua latinu esse opinor.

Quæ si me non fefellit opinio, jam fit manifestum no vixisse Babrium eadem qua Bion et Moschus ætate; q ætate homines latini græcos versus non faciebant. Censu runt alii Babrium circa Augusti ævum floruisse, quos a gumentis usos fuisse speciosioribus quam validiorib ostendit Knochius vir doct., quem non exscribo. Exsc bam in transcursu hominis literati verba, in quæ nup incidebam : « Babrias, auctor græcus, Augusti æta « vixisse videtur..... Videtur ejus fabularum usus apı « Romanos fuisse frequentissimus. Suadebat Sene « amico suo Polybio, Consol. 27, illas latine convertere « et Quintilianus, Instit. I, 9, pueros jubebat inter l « gendum versus solverent. » Quæ si reapse dixerunt S neca et Quintilianus, tantæ testes auctoritatis, nullu jam potest esse dubitationi locus. Sed est de Babrio a tum Quintiliani ac Senecæ silentium; quique talia ta secure ac fidenter effudit, tota pronuntiandum est e ravisse via.

Suam ipse Babrius indicavit ætatem Procemio alte ante literam my, libellum donans novum filio βασιλέ Ἀλεξάνδρου, regis, immo imperatoris, Alexandri; que filium Fab. 74, et Procemio priore Branchum nomin vit. Ad hunc locum monui, sed dubitanter, pos Alexandrum Severum intelligi. Atque quod narratu Fab. 57, de Arabibus, quos mortalium mendacissim expertus sit, in hominem non male cadit qui cum Bra cho, filio Alexandri Syri, Syriam habitaverit. Qui nov

rit istis meliora atque impertietur, ex facili me docilem et sequacem habebit.

Addidi ex Knochiano Syntagmate fragmenta choliambica Babriana, ex plurimis paucula: ea videlicet quibus in novis fabulis sedes non data fuit; versibus omninc neglectis, quos ex prosa fabulatorum oratione excitavi ars criticorum, quamvis non raro sint probabilissimi carent enim auctoritate. Apprime noverunt qui hæ nostra studia tractant, quam sæpe restitutiones quas vo cant locorum et emendationes, ipso commentatorur periculo intrepida mente prolatæ, fuerint codicis no lectionibus apertissime confutatæ.

Parisiis, a. d. X cal. oct. XLIV.

ΒΑΒΡΙΟΥ

ΜΥΘΙΑΜΒΟΙ ΑΙΣΩΠΕΙΟΙ.

BABRII

FABULÆ ÆSOPIÆ METRO IAMBICO.

ΒΑΒΡΙΟΥ

ΜΥΘΙΑΜΒΟΙ ΑΙΣΩΠΕ

ΚΑΤΑ ΣΤΟΙΧΕΙΟΝ.

ΣΤΙΧΟΙ ΧΩΛΙΑΜΒΙΚΟΙ

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

Γενεὴ δικαίων ἦν τὸ πρῶτον ἀνθρώπων,
ὦ Βράγχε τέκνον, ἣν καλοῦσι χρυσείην.

Consuetudini parens edidi Βαβρίου. Sed apographum a Μινωΐδῃ Μηνᾷ scriptum, quod deinceps brevitatis causa litera A designabitur, exhibet Βαλεβρίου. Correcta magis scriptura codicis Harleyani apud Tyrwhittum Dissertatione Babriana p. 69, Βαλερίου, superscripto Βαβρίου. Suidæ quidem, a quo sæpe fuit ad partes vocatus, passim dictus est Βάβριος, simul et semel Βαβρίας, loco quem describere est operæ pretium: Βαβρίας ἢ Βάβριος· μύθους ἤ τοι μυθιάμβους· εἰσὶ γὰρ διὰ χωλιάμβων ἐν βιβλίοις ι΄· οὗτος ἐκ τῶν Αἰσωπείων μύθων μετέβαλεν ἀπὸ τῆς αὐτῶν λογοποιΐας εἰς ἔμμετρα, ἤγουν τοὺς χωλιάμβους. Nulla codicum Suidæ memorata fuit circa id nomen varietas. Et Βάβριος vocatur ab Etymologici M. auctore in ὄμφαξ et πεπρωμένον· a Tzetza XIII, 257, Βαβρίας, et tivo XIII, 592 : Τοῖς μί τε καὶ στίχοις τοῦ Βαβρ Ἦια, scriptura Βάμβρι formanda est ex Anecd Crameri t. 4, p. 139, etiam præfatione Ba Quum sit Babrius n inscriptionibus notum, negieterum, collegit Babrii p. 12, fere cre X. Bergeri opinio, qu doct. probari intellex men fuisse Valerio Ba nomine et gente latin græca oratione uti, esset, elegantissima non desunt hominum

BABRII

FABULÆ ÆSOPIÆ METRO IAMBICO,

SECUNDUM LITERARUM ORDINEM.

VERSUS CHOLIAMBICI.

PROOEMIUM.

Principio progenies justorum fuit hominum, o Branche fili, quam vocitant auream ..... Tertia post illas quædam ex-

que linguæ doctorum.— In A quidem est μῦθοι, sed me monuit Μηνᾶς serius vidisse se codicem obscure quidem, sed certissime μυθίαμβοι nomen tenere. Quod statim recepi, quum id nominis et loco Suidæ, quem modo allegavi, plane confirmetur, et alio Tzetzæ Chil. XIII, 257 : ὥσπερ Βαβρίας γράφει Ἐν μυθιάμβοις τοῖς χωλοῖς, οὐ τοῖς ἰάμβοις λέγω. Vide Knoch. Babr. p. 15, 17.

1. De aurea ætate Hesiodus E. 109: Χρύσεον μὲν πρώτιστα γένος μερόπων ἀνθρώπων Ἀθάνατοι ποίησαν. Ovidius: « Aurea prima sata est ætas. »

2. Βράγχε τέκνον) quem nominat et Fab. 74, 15; non nominatum compellat vocativo παῖ Fab. 18, 15; 72, 28. An ad suum ipsius filium orationem direxerit iis locis poeta dubito ob primum versum fabulæ 108, seu proœmii potius literæ M : ὦ παῖ βασιλέως Ἀλεξάνδρου. Quærenti quis sit ὁ βασιλεὺς Ἀλέξανδρος, remoto illo Macedone rege, succurrit imperator Alexander Severus. Ipsi enim esse potuit filius nothus, qui vocatus fuerit Branchus; idque convenientissime, scilicet natus forsan in Syria, forsan matre syra, certe syro patre, qui ante imperium gesserat Solis sacerdotium, et filium, nomine tali dato, quasi tutelæ Apollinis Branchii commendare sibi videbatur. Quæ conjectura hactenus non displicet Hasio viro eruditissimo. Jam erit τέκνον, παῖς, appellatio caritatis, qua usus fuerit magister in discipulum, affectu cum tenero. Libanius t. 3, p. 444 : εἰσί μοι παῖδες· οὕτω γὰρ καλὸν ὀνομάσαι τοὺς τῆς συνου-

Τρίτη δ' ἀπ' αὐτῶν τις ἐγενήθη χαλκείη,
μεθ' ἣν γενέσθαι φασὶ θείαν Ἡρώων·
πέμπτη, σιδηρᾶ ῥίζα καὶ γένος χεῖρον.
Ἐπὶ τῆς δὲ χρυσῆς, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ζῴων
φωνὴν ἔναρθρον εἶχε καὶ λόγους ᾔδει·
ἀγοραὶ δὲ τούτων ἦσαν ἐν μέσαις ὕλαις.
Ἐλάλει δὲ πέτρα καὶ τὰ φύλλα τῆς πεύκης·
ἐλάλει δὲ δελφίς, Βράγχε, νηῒ καὶ ναύτῃ·
στρουθοὶ δὲ συνετὰ πρὸς γεωργοὺς ὡμίλουν·
ἐφύετ' ἐκ γῆς πάντα, μηδὲν αἰτούσης·
θνητῶν δ' ὑπῆρχε καὶ θεῶν ἑταιρείη.
Μάθοις δ' ἂν οὕτω ταῦτ' ἔχοντα καὶ γνοίης
ἐκ τοῦ σοφοῦ γέροντος ἡμῶν Αἰσώπου,
μύθους φράσαντος, τῆς ἐλευθέρας μούσης.

πίας ἐπιδεδωκότας. Joannes Hieros. Vita Joannis Damasceni p. 240 : οἱ φιλοσοφίᾳ ἐπιμελετήσαντες τέκνα τεκεῖν διὰ φιλοσοφίας τε καὶ μυήσεως ποθοῦσιν. Barnabas, qui fertur, initio Epistolæ Catholicæ : « avete, filii et filiæ ». Ac discipuli magistrum patris nomine compellabant. Vide Menard. ad Barnabam p. 81 ; Elsner. ad Matthæum 11, 19 ; Wolf. ad Liban. Epist. 285, 8 ; Fabric. ad Marin. p. 127 ; Wyttenb. ad Eunap. p. 261. Addam in Aviani præfatione codices duo pro « Babrius » exhibere « Brachius », quod mendum, etsi esse fortuitum videatur, fuit tamen memorandum.

3. A, τῆς. Scribendum mihi fuit τις — Fit saltus a prima ætate aurea ad tertiam, secunda omissa, librario, puto, negligentius properante. Est ἀπ' αὐτῶν, τῶν γενεῶν scilicet, intelligendum, non ἀπ' αὐτῶν τῶν ἀνθρώπων. Ovidius : « Tertia *post illas* successit ahenea proles »; qui non neglexit secundam : « subiit argentea proles, Auro deterior ». Hesiodus Ἔ. 126 : Δεύτερον αὖτε γένος πολὺ χειρότερον μετόπισθεν Ἀργύρεον ποίησαν· tum v. 142 : Ζεὺς δὲ πατὴρ τρίτον ἄλλο γένος μερόπων ἀνθρώπων Χάλκειον ποίησ', οὐκ ἀργυρέῳ οὐδὲν ὁμοῖον.

4. A, γενέσθαί φασι) Post tertiam ætatem fuit Heroum quarta, de qua siluit Ovidius, Hesiodo memorata Ἔ. 156 : Αὖθις ἔτ' ἄλλο τέταρτον ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ Ζεὺς Κρονίδης ποίησε δικαιότερον καὶ ἄρειον, Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται Ἡμίθεοι.

5. A, μεμπτή. Correxi πέμπτη, quod postulat sententiarum nexus. Hesiodus πέμπτον γένος describit Ἔ. 172 : Μηκέτ' ἔπειτ' ὤφειλον πέμπτοισι μετεῖναι Ἀνδράσιν... Νῦν γὰρ δὴ γένος ἐστὶ σιδήρεον. Ovidius : « De duro est ultima ferro »; quæ ipsi est quarta. Auctorem fere puto scripsisse σιδηρῆ ipsum. Sed reliqui quod reperi in A. Quum variabitur, ionismum eligam.

titit ænea, quam excepisse narrant divinam aliam, Heroum. Quinta, ferrea radix fuit pejusque genus.

Aurea in ætate,..... et animalia cetera vocem habebant articulatam sermonibusque utebantur; et illorum erant fora silvis in mediis. Loquebantur et lapis abietisque folia; loquebatur delphinus, Branche, navi ac nautæ; colloquebantur passeres intelligenter cum agricolis. Ex tellure nascebantur cuncta, nihil ipsa poscente; mortalesque inter ac deos vigebat sodalitas.

Hæc autem disces sic habere se ac cognosces ex sapientis senis nostri Æsopi fabulas enarrantis libera musa.

6. A, ἐπὶ τῆς δε σῆς, deleta syllaba. Quo in loco quum valde trepidaremus ego et homo aliquis doctus, statim vidit Dübnerus vir in hac arte critica consummatissimus legendum esse χρυσῆς, quod adeo verum est ut nihil sit verius; et ita scripsi, posito in δε accentu. Jam, ni mutentur verba τὰ λοιπὰ, patet periisse versus hujus finem, cum initio sequentis, cujus erit clausula, καὶ τὰ λοιπὰ τ. ζ. Cogitabam de corrigendo, καὶ τὰ φῦλα, καὶ τὰ πολλὰ, vel τὰ πλεῖστα τ. ζ., sed est nimia literarum in utroque nomine differentia.— A, ζώων. Scripsi ζῴων, quod fere semper A exhibeat ῳ, ut et in σῷος, σῴζω. Quæ scriptura, quamvis eam plurimi editores negligant, est optima, fuissemque reprehensione dignus, si à codice recessissem. Vide Knochium ad Babrium pag. 57.

9. Τὰ φύλλα τῆς πεύκης.) Loquitur abies Fab. 38, fagus Fab. 36. Phædrus Prologo primo : « Quod arbores loquantur, non tantum feræ. » Loquuntur in Aviani Fabula abies et dumus. Vide Rigalt. ad Phædr. l. l.

10. A, ἐλάλει δὲ πόντιος ἰχθὺς, Βράγχε, νηῒ καὶ ναύτῃ. Proponit vir d. versum legere, deleto nomine Βράγχε. Sed pes quartus ita esset læsus, ut non posset incedere. Nulla est causa cur scripsisset nomen Βράγχε librarius non repertum; potuit imprudens male repetere verbum ἐλάλει. Forsan inde legendum: Καὶ πόντιος ἰχθὺς, Βράγχε, νηῒ καὶ ναύτῃ. Verbo iterato sententia non indiget. Vel latet piscis nomen cujusdam proprium, cujus glossa πόντιος ἰχθὺς e margine sibi viam fecerit et sedem non suam occupaverit. Hocque mihi visum est illo probabilius, scripsique δελφὶς, de ipso tamen vocabulo multum incertus, quum fabulam non meminerim, in qua delphinus et navis nautæque fuerint inter se loquuti.

12. Ovidius Metamorphos. primo in descriptione ætatis aureæ : « Mox etiam

Ὡς νῦν ἕκαστον ἂν θείης ἐν τῇ μνήμῃ,
μελισταγές σοι νῷ τὸ κηρίον θήσω,
πικρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλα θηλάσσαι.

fruges tellus inarata ferebat, Nec renovatus ager gravidis canebat aristis ».

15. Γέροντος ἡμῶν) Phædrus 5, 7, 32: « homo *meus* se in pulpito Totum prosternit. » Ibi Schwab. Et Phædro non semel Æsopus dictus fuit senex; 2, Prol. 8: « morem servabo senis ». Vide Schwab. ad 3, 19, 11. Idque non tam ratione ætatis, quam propter doctrinam ac magisterium. Sic « Callimachus senex » in Statiano Stellæ Epithalamio. Sic passim Hippocrates vocatur senex.

17. A, ὧν νῦν ἕκαστον ἂν θείης ἐμῇ μνήμῃ. Μηνᾶς proponit τεῇ μνήμῃ, malui ἐν τῇ. Et ὧν in ὡς mutavi. Sic connectetur probabiliter sententia sequentis versus. Theodorus Prodromus Rhodante simili sæpius utitur syntaxi: Ὡς ἂν λάθοι Δρύαντος ἡ παροινία, p. 62; ὡς ἂν Βρυάξης ὁ κρατήσας θεσπίσοι, p. 313; ὡς ἂν Δοσικλῆς τῶν τεθέντων ἐκφάγοι, p. 354. Babrius F. 59, 12: ὡς ἂν βλέποιτο. De quantitate syllabæ primæ vocabuli θείης sit lector securus. Est τοιοῦτον amphibrachys F. 28, 7, et sic ποιητὸν F. 1, 8; προσποιηθεὶς epitritus secundus F. 97, 2; προσποιητὰ ditrochæus F. 103, 5. Cf. F. 24, 3. Et Reisigium memini contra metricos eosque principes, Porsonum et Hermannum, iambum κλείων defendere. Potuit servari ὧν scripto ἐνθείης. Sed votum tam disertum de re tam tenui valde displicebat.

18. Μελισταγὲς τὸ κηρίον) Christodorus Descriptione statuarum de Homero 343: Πιερικὴ δὲ μέλισσα περὶ στόμα θεῖον ἀλᾶτο Κηρίον ὠδίνουσα μελισταγές.

19. A, θηλᾶσαι. Suidas verbum habet θηλάσαι, sed sine exemplo, cum acuto tono. Et Hesychio sic scriptum est θηλάσαι sub Θῆσαι. Circumflexum est θη-

λᾶσαι, ab eo qui syllabæ
tavi, quum θηλάσαι metr
bendum θηλάσσαι. Sic d
lum poeta in ἀμέσσων F
ποσσὶν F. 45, 11; et c. Majo
quam scripturæ difficult
favum vocari puto narrati
dulci et amœna novitate a
iambos et asperos. Sed
fabulatorem, amaros dice
bos, alterum velut Archi
si sunt amari, certe non
Nam hanc esse Branchi æ
θηλάζω metaphora conji
ter discendi præcepto. A
me lectoribus videbuntur
tis, qui « suspicione err
rapient quod fuerit omni
Ac prologo altero Fab. 1
ἰάμβων τοὺς ὀδόντας θή
probabilius dictum. Ad
deri in πικρῶν ἰάμβων et
ρίον recordationem quam
veteris, τῆς παιδείας τὴν
πικρὰν, τὸν δὲ καρπὸν γλυ
crati tribuunt Hermogen
p. 22, Libanius in Chri
reperiunda et in Theonis
nibus, Camerariana v. c.
stheni Arsenius Viol. p.
Monachus S. 50 ed. lat.
teli Diogenes Laert. 5,
Gnomologus ap. Menag.
Catoni Diomedes ibid.;
finianus, ubi Ruhnk. p. 2
nem auctorem nominat
codice 1168: Δημοσθένη
μὲν ῥίζαν τῆς παιδείας ἔφ
τοὺς δὲ καρποὺς γλυκεῖς.
illud nobile dictum G
t. 3, p. 315 B: Οὐ γάρ

Ut nunc unumquodque mandes memoriæ, mellifluum tuæ menti favum apponam, qui amarorum queas iamborum aspera cola sugere.

παιδείας γλυκεῖαι, ἀλλὰ πικραί, καρπὸν δὲ εἰς ὕστερον βλαστάνουσι κηρίων ἡδύτερόν. Hieronymus Rustico Epistol. Sel. l. 2, p. 313: « gratias ago Domino quod de amaro semine li'erarum dulces fructus carpo ». Lupus Ferrar. Epist. 1, extr.: « meque rimantem amaras literarum radices earum jam jucundissimis replete fructibus ». Vide et not. ad Herodiani Epimerismos p. 53, 293. Vulgatior etiam est mellis mentio in oppositione amari saporis. Photius Epist. 1, § 91: Οὔτε γὰρ τὰ δριμύτερα τῶν φαρμάκων ἄνευ μέλιτος τοῖς κάμνουσι προσάγειν ἐγνώκασιν οἱ ἰατροί. Cf. Gregorius Naz. Or. 37, p. 607 D; Synesius De regno p. 2 B. Locos veterum plurimos apposui ad Zachariam Mityl. p. 396. Inter similes recentiorum locos eminent suavissimi Tassi versus initio Gerus.: « Cosi all' egro fanciul »..... Quos notissimos transcribere supersedeo. Absurdissima est Chesterfieldii de eis sententia Epist. 217: « The image, with which he adorns the introduction of his epic poem, is low and disgusting; it is that of a froward, sick, puking child, who is deceived into a dose of necessary physic by *du bonbon* ». Quis credat tam tenera vocabula « egro fanciul » barbaris istis et absonis reddi potuisse nominibus, et pro « succhi amari » apponi « a necessary physic » oratione moreque doctoris Purgonis, ac ridicullissime *du bonbon* pro pulcra poeticaque locutione « soave licor »? Voltarius, qui, Periculo de epica poesi cap. 1, ait, nec sine errore, opinor, talem imaginem in gallica epopœia non posse omnino recipi, illam merito laudat a poeta italo scriptam: « on approuve avec raison en Italie ces vers imités de Lucrèce [1, 936] dans la troisième stance du premier chant de la Jérusalem: « Cosi all' egro fanciul »... Ludebat, Tassi sui memor, Guadagnolius, poeta jocosior: « Ma perchè non vi spiaccia o desti orrore, L' orpellerò di lusinghier concento. Così Frank, astutissimo dottore, Ricopria le sue pillole d'argento, E il fanciullin, che non sapea di più, Vedeale belle, e le tirava giù ».

In loco valde impedito et obscuro, ac sine codicis ope fere insanabili, mihi proposuit Dübnerus, lector diligentissimus et eruditissimus, emendationem, qua sententia evadit optima, sed fit etiam codicis scripturæ vis nimia quam ut recipi queat: ὧν νῦν ἕκαστον ἵνα τιθῇς ἐν τῇ μνήμῃ, μελισσαγές σοι, λῷστε, κηρίον θήσω, πικρῶν ἰάμβων σκληρὰ κῶλ' ἀφηδύνας.

ΑΡΧΗ ΤΟΥ Α.

Α′.

ΤΟΞΟΤΗΣ ΚΑΙ ΛΕΩΝ.

Ἄνθρωπος ἦλθεν εἰς ὄρος κυνηγήσων,
τόξου βολῆς ἔμπειρος· ἦν δὲ τῶν ζῴων
φυγή τε πάντων καὶ φόβου δρόμος πλήρης.
Λέων δὲ τοῦτον προυκαλεῖτο θαρσῆσαι
αὐτῷ μάχεσθαι. « Μεῖνον », εἶπε· « μὴ σπεῦδε ».
Ἄνθρωπος αὐτῷ· « Μὴ δ' ἐπελπίσῃς νίκῃ·
« τῷ δ' ἀγγέλῳ μοῦ πρῶτον ἐντυχὼν, γνώσῃ
« τί σοι ποιητόν ἐστιν. » Εἶτα τοξεύει,
μικρὸν διαστάς. Χὠ μὲν οἰστὸς ἐκρύφθη
λέοντος ὑγραῖς χολάσιν· ὁ δὲ λέων δείσας
ὥρμησε φεύγειν ἐς νάπας ἐρημαίας.
Τούτου δ' ἀλώπηξ οὐκ ἄπωθεν εἱστήκει.
Ταύτης δὲ θαρσεῖν καὶ μένειν κελευούσης,
« Οὔ με πλανήσεις, » φησίν, « οὐδ' ἐνεδρεύσεις·
« ὅπου γὰρ οὕτω φοβερὸν ἄγγελον πέμπει,
« πῶς αὐτὸς ἤδη πικρός ἐστι γιγνώσκω ».

Ὅτι δεῖ ἐκ τῶν προσφερομένων γινώσκειν τὴν ἑκάστου θεσιν· καὶ ὅτι ἡ σοφία τῆς δυνάμεως διαφέρει.

Similis argumenti conferatur Corayani syntagmatis Fabula 279, p. 182, 397; Aviani Fabula 17. — Lemma addidi huic Fabulæ, ut et reliquis.

3. A, φυγῆς. Scripsi φυγή.

4. A, θαρσῆσαι. Forsan, θαρσήσας. Fabula collata : λέων δὲ μόνος προεκαλεῖτο αὐτὸν εἰς μάχην. Avianus : « Tum pavidis *audax* cupiens succurrere
Sed videtur Leo dixisse, θάρ
μεῖνον. Conf. v. 13.

5. A, αὐτῷ. Malui αὑτῷ.

10. Suidas : χολάδες, τὰ ἔντερα

11. Suid. : νάπη, ὀρεινὸς ὑλώδης

12. Ignatii fabulam tetrastich
ponam, quam emendem obiter :

I.

SAGITTARIUS ET LEO.

Homo quidam ivit in montem venaturus, sagittandi peritus artis. Tunc animalium fuga cunctorum exstitit cursusque plenus formidine.

Ast hominem leo provocavit, ut audax secum dimicaret. « Restita », inquit; « ne properes. » Cui homo : « Nec speres « tu victoriam. Sed primum nuntio meo occurrens obvio, « cognosces quid sit faciendum tibi ». Dein arcu emittit sagittam, parvo distans intervallo. Et latuit ferrum mollibus leonis in visceribus conditum; qui perculsus metu conjecit se fuga in deserta saltuum.

Ab ipso vulpes non procul stabat.

Quæ quum bono esse animo manereque in loco juberet, « Non me decipies », ait, « nec strues insidias mihi. Quando« quidem enim terribilem adeo mittit nuntium, quo sit ipse « modo acerbus jam intelligo. »

Quod oporteat ex prolatis in medium cognoscere quæ sit cuique animi affectio; et quod sapientia prævaleat potentia.

λέων συνῆπτεν ἀνδρὶ τοξότῃ, Βέλει τυπεὶς δὲ, θηρσὶν εἶπε τοιάδε· Εἰ δὲ προπομποὺς εὐπορεῖ τοίους ὅγε, Τίς αὐτὸς εἴη συστάδην ὡρμημένος; Protulit vir d. secundi versus e codice varietatem, Βέλει νυγεὶς δὲ θὴρ συνεῖπε τοιάδε, quam edita lectione multo meliorem esse ait, postulans quid plurale nomen θηρσὶν significat. Mihi dissentire liceat. Verbum συνεῖπε prorsus absonum est, et θηρσὶν intelligendum de feris qui vulnerato adsunt leoni. Pronomini ὅγε substituendum ὅδε, quod reperi in codice 2991 A.

In affabulatione suadet Μηνᾶς mutare προσφερομένων in προφερομένων. Non esse scripta a Babrio hæc epimythia

B΄.

ΓΕΩΡΓΟΣ ΔΙΚΕΛΛΑΝ ΑΠΟΛΕΣΑΣ.

Ἀνὴρ γεωργὸς ἀμπελῶνα ταφρεύων,
καὶ τὴν δίκελλαν ἀπολέσας, ἐπεζήτει
μὴ τῶν παρόντων τήνδ' ἔκλεψεν ἀγροίκων.
Ἠρνεῖθ' ἕκαστος. Οὐκ ἔχων δ' ὃ ποιήσει,
εἰς τὴν πόλιν κατῆγε πάντας ὁρκώσων·
τῶν γὰρ θεῶν δοκοῦσι τοὺς μὲν εὐήθεις
ἀγροὺς κατοικεῖν, τοὺς δ' ἐσωτέρω τείχους
εἶναί τ' ἀληθεῖς καὶ τὰ πάντ' ἐποπτεύειν.
Ὡς δ', εἰσιόντες τὰς πύλας, ἐπὶ κρήνης
τοὺς πόδας ἔνιζον, κἀπέθεντο τὰς πήρας,
κῆρυξ ἐφώνει χιλίας ἀριθμήσειν
μήνυτρα σύλων, ὧν ὁ θεὸς ἐσυλήθη.
Ὁ δὲ τοῦτ' ἀκούσας, εἶπεν· « Ὡς μάτην ἥκω!
« κλέπτας γὰρ ἄλλους πῶς θεός γ' ἂν εἰδείη,
« ὃς τοὺς ἑαυτοῦ φῶρας οὐχὶ γιγνώσκει,
« ζητεῖ δὲ μισθοῦ μή τις οἶδεν ἀνθρώπων »;

Ὅτι χρὴ ἀπιστεῖν τοῖς ὑπισχνουμένοις ὧν οὐκ εἰσεῖδες ·

et alia prosa nec usque bona oratione scripta vix opus est lectorem moneri. Duorum quæ huic fabulæ fuerunt apposita alterum comparari potest dubio et ipsi epimythio Phædri 1, 13 : « Virtute semper prævalet sapientia »; et Theognideæ sententiæ 1076 : Κρεῖσσόν τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς· scil μεως. Quum merito in loco Pl pliceat « virtute », quæ sit co verbis a vulpe decepti, potes de sapientia quæ sua ipsius virtute.

1. Suidas : ταφρεῦσαι, περισ

II.

AGRICOLA QUI BIDENTEM AMISERAT.

Agricola fodiens vineam, quum bidentem amisisset, quærebat num quis præsentium furatus eum esset rusticorum.

Negabat quisque.

Tum incertus homo quid faceret, in urbem deduxit omnes jusjurandum delaturus.

Deorum enim eos opinantur vulgo qui sunt ingenio tardiores ruri habitare; qui autem muris intus degunt, veros esse deos et cuncta inspicere.

Quum vero, ingressi portam, ad fontem pedes lavarent manticis depositis, præco proclamabat mille se drachmas numeraturum, furtorum præmium indicandorum quæ ex dei æde fuerant ablata.

His auditis agricola « Quam vanum » ait « iter feci! fures « enim alios quo deus deprendet modo, qui sui spoliatores « templi non cognoscit, quæritque mercede oblata illos num « quis noverit mortalium? »

Quod oporteat promissis non credere, quorum non videris data pignora.

2. A, ἐζήτει. Scripsi ἐπεζήτει, ut esset legitima versui mensura. Eadem verbi ζητεῖν syntaxis cum μὴ v. 16. Nec omittendum esse ἐπεζήτει sic in clausula Fab. 28, 3; 95, 92; et pariter periisse præpositionem ἀπὸ F. 6, 8.

3. Forsan, μή τις παρόντων.

6. Suidas : εὐήθης· βλὰξ, ἀνόητος, ἄχρηστος τὸ ἦθος.

11. A, χῆρυξ. Sic F. 72, 1.

In affabulatione videtur A habere εἴσιδες. Scripsi εἰσεῖδες. Esset εἴσιδες scripto vocabulo propius; sed hæc verbi forma hic loci vix placet.

Γ'.

ΑΙΠΟΛΟΣ ΚΑΙ ΑΙΞ.

Αἰγάς ποτ' εἰς ἔπαυλιν αἰπόλος χρήζων
ἐπὶ σηκὸν ἄγειν θ', ὡς αἱ μὲν ἦλθον, αἱ δ' οὔπ
μιᾶς ἀπειθοῦς ἐν φάραγγι τρωγούσης
κόμην γλυκεῖαν αἰγίλου τε καὶ σχίνου,
τὸ κέρας κατέαξε μακρόθεν λίθῳ πλήξας.
Τὴν δ' ἱκέτευε· « Μή, χίμαιρα συνδούλη,
« πρὸς τοῦ σε Πανὸς, ὃς νάπας ἐποπτεύει,
« τῷ δεσπότῃ, χίμαιρα, μή με μηνύσῃς·
« ἄκων γὰρ ηὐστόχησα, τὸν λίθον ῥίψας ».
Ἡ δ' εἶπε· « Καὶ πῶς ἔργον ἐκφανὲς κρύψω;
« τὸ κέρας κέκραγε, κἂν ἐγὼ σιωπήσω ».

Ὅτι τὰ δημοσίᾳ ἁμαρτηθέντα κατ' οὐδένα τρόπον χρὴ κ

Conf. Coray. Fabula p. 91, 346; et Milleriana in Notit. mann. t. 14, p. 240; Phædrus 6, 23.

1. A, αἰγά ποτ'. Scribendum fuit αἰγάς ποτ'.— Suidas : χρήζω,... θέλω.

2. Suidas : σηκοὶ, αἱ τῶν βοσκημάτων ἐπαύλεις. Non caret vitio nominum ἔπαυλιν, σηκὸν, fere synonymorum junctura. Nec numeri placent, ἄγειν θ', qui tamen tertio i redeunt. Imo ob id ipsum magis. Forsan scripserat au χρήζων Ἄγειν, ἐκαλεῖθ'· ὡς Est verbum ἀνεκαλεῖτο in col lis : αἰγοβοσκὸς τὰς αἶγας ἀνεκ μάνδραν.

III.

CAPRARIUS ET CAPRA.

Capras quondam ad stabulum cupiens et præsepe caprari agere, quum adessent aliæ, aliæ abessent adhuc, unius, qu contumacior in convalle dulcem carpebat comam ægili sch nique, cornu confregit, feriens eminus lapide.

Et illam rogabat supplex : « Ne, capella conserva, per eg « te Panem, qui saltus inspectat, ne domino, capella, ne n « prodideris ; quippe qui invitus dexterius sum jaculatu « misso lapide.

Quæ contra « Ac qui rem », inquit, « celabo manifestan « Clamat cornu, quantumvis ipsa siluerim ».

Quod quæ fuerunt palam peccata nullo oporteat modo o culere.

4. Suidas : αἴγιλλος, εἶδος βοτάνης. Junxit poeta ægilum et schinum memor forsan Theocriti 5, 128 : Ταὶ μὲν ἐμαὶ κύτισόν τε καὶ αἴγιλον αἶγες ἔδοντι, Καὶ σχῖνον πατέοντι. Ibi scholium : κύτισος, αἴγιλος καὶ σχῖνος θάμνοι εἰσὶν οὓς ἐπινέμονται αἱ αἶγες. Interpres botanicus Theocriti ait σχῖνον esse lentiscum. S quis capras vidit pistaciam lentisci tondentes ? Est in idyllio ac fabula her vel frutex ; ni fallor tamen.

7. A, Πρὸς τοῦ σε Π. Visum est ob m jorem obtestationis vim acuere pro men.

Δ′.

ΑΛΙΕΥΣ ΚΑΙ ΙΧΘΥΣ.

Ἁλιεὺς σαγήνην, ἣν νεωστὶ βεβλήκει,
ἀνεῖλετ'· ὄψου δ' ἔτυχε ποικίλου πλήρης.
Τῶν δ' ἰχθύων ὁ λεπτὸς εἰς βυθὸν φεύγων,
ὑπεξέδυνε δικτύου πολυτρήτου·
ὁ μέγας δ' ἀγρευθεὶς εἰς τὸ πλοῖον ἡπλώθη.
Σωτηρία πως ἐστὶ καὶ κακῶν ἔξω
τὸ μικρὸν εἶναι· τὸν μέγαν δὲ τῇ δόξῃ
σπανίως ἴδοις ἂν ἐκφυγόντα κίνδυνον.

Ε′.

ΑΛΕΚΤΟΡΙΣΚΟΙ.

Ἀλεκτορίσκων ἦν μάχη Ταναγραίων,
οἷς θυμὸν εἶναί φασιν οἷον ἀνθρώποις.
Τούτων ὁ λειφθείς, τραυμάτων γὰρ ἦν πλήρης
ἐκρύπτετ' οἴκου γωνίην ὑπ' αἰσχύνης.

Fab. IV. Conf. Coray. F. 154.—Affabulatio Corayanæ : τοὺς δὲ μεγάλους ὄντας τῇ δόξῃ σπανίως ἴδοις ἐκφεύγειν τὴν δίκην. Sic scripsit pro ἴδῃς quod repererat, tunc oblitus recentiores sic aoristo subjunctivi passim uti loco futuri; quod serius meminit p. νδ′. Sed fere puto, quum oratio reliqua sit probe græca, ἴδῃς esse mendum calami, rescribendumque ἴδοις, iotacismo favente, addito etiam ἄν, quod fuerit om

Fab. V. Conf. Coray. F. 343; Knochii Frag. 39.

1. Versus duo primi exst Lexico V. Ταναγραῖοι ἀλε μαχηταὶ καὶ θυμικοὶ ὡς ἄ βριος.

2. Suidas alio ordine : Οἷ θυμὸν ὥσπερ ἀνθρώποις. Fir lum οἷον fabula secunda (

IV.

PISCATOR ET PISCIS.

Piscator sagenam, quam recens jecerat, extraxit. Obsoni autem erat varii referta.

Ast piscium minutus quisque effugit in altum, e rete clam elapsus multiforo, dum captivus quicumque magnus in navicula jacuit extentus.

Salus fit quodammodo et malorum effugium parvitas; qui autem magnus est opinione vulgi, eum raro videbis periculum effugere.

V.

PULLI GALLINACEI.

Pullorum gallinaceorum certamen erat Tanagræorum, quibus animum esse dicunt qualem hominibus.

Illorum qui victus fuit, vulneribus quippe coopertus, præ pudore angulum in domo quæsivit ubi deliteret.

κτορες δύο δι' ὄρνεις ἐμάχοντο, οὓς λέγουσι θυμὸν ἔχειν οἷον ἀνθρώπων. Plinius H. N. 10, 24, 2, de gallinaceis: « Ex his quidam ad bella tantum et prælia assidua nascuntur, quibus etiam patrias nobilitarunt, Rhodum aut Tanagram ». Ibi Harduinus.

3. Verbo λειφθεὶς pro scholio sint synonyma ἡττηθεὶς, νικηθεὶς, Corayanarum. Cf. F. 69, 3.

4. Collatio fabularum Corayanarum eo ducit ut γωνίῃ scriptum esse putes, ni obstaret hiatus. Accusativus intelligendus cum ellipsi præpositionis, propter motum, non latentis pulli, sed avolantis ut in angulo se recipiat. Ælianus H. A. 4, 29, de gallinaceo victo: καταδύεται ὑπὸ τῆς αἰδοῦς. Ibi Jacobsius καταδύεσθαι ὑπὸ τῆς αἰσχύνης excitat ex Xenophonte.

Ὁ δ' ἄλλος εὐθὺς εἰς τὸ δῶμα πηδήσας,
ἐπικροτῶν τε τοῖς πτεροῖς ἐκεκράγει.
Καὶ τὸν μὲν ἀετός τις ἐκ στέγους ἄρας,
ἀπῆλθ'· ὁ δ' ἄλλος ἀμφίβαινε θηλείαις,
ἀμείνονα σχὼν τἀπίχειρα τῆς ἥττης.
Ἄνθρωπε, καὶ σὺ μή ποτ' ἴσθι καυχήμων,
ἄλλου πλέον σε τῆς τύχης ἐπαιρούσης·
πολλοὺς ἔσωσε καὶ τὸ μὴ καλῶς πράττειν.

ϛ'.

ΑΛΙΕΥΣ ΚΑΙ ΙΧΘΥΔΙΟΝ.

Ἁλιεὺς θαλάσσης πᾶσαν ἠόνα ξύων,
λεπτῷ τε καλάμῳ τὸν γλυκὺν βίον ζώων,
μικρόν ποτ' ἰχθὺν ὁρμιῆς ἀφ' ἱππείης
ἤγρευσεν ἐκ τῶν εἰς τάγηνον ὡραίων.
Ὁ δ' αὐτὸν οὕτως ἱκέτευεν ἀσπαίρων·
« Τί σοι τὸ κέρδος; ἢ πόσου με πωλήσεις;
« οὐκ εἰμὶ γὰρ τέλειος· ἀλλά με πρῴην
« πρὸς τῇδε πέτρῃ φυκὶς ἀπέκυσεν μήτηρ.

5. Est δῶμα tectum; cf. v. 7. Fabula Corayana tertia : ἐπὶ στέγους ἀρθείς. In alia Fabula Cor. 139, p. 141, 337 : ἔριφος ἐπί τινος δώματος ἑστώς. Vide Alberti Observ. ad Matth. 24, 18.

6 Plinius l. l. : « Quod si palma contingit, statim in victoria canunt, seque ipsi principes testantur; victus occultatur silens ». Ibi Harduinus.

8. Poetaster politicus fabulæ Corayanæ p. 344 : Ὁ δὲ ἕτερος, ἐλευθερίως ζήσας, Ἥγετο οὕτως ἐν ἀδείᾳ τυγχάνων. Proponit Corayus pro ἥγετ
ἥλλετο. Propono, ἥδετο.

9. Suidas V. Τἀπίχειρα·
τὰς ἀμοιβάς· Ἀμείνονα ἔχων
tem indicat, ἐν μυθικοῖς. Ϛ
divinaverat ad fabulam de
versum pertinere, Tyrwi
consulebat legens p. 64,
χων, non ἀνέχων, quod refe
Ipse melius correxit : Ἔχω
Sed Apographi lectio secat
tur id vocabulum et in alia

Alter contra in tectum statim facto saltu, alisque complosis, cucurriebat. Quem aquila rapiens e tecto, abiit.

Ast ille fœminas circumibat, meliorem sortitus cladis mercedem.

Homo, et tu nunquam sis verbis jactantior, si quando fortuna alio te sustulerit altius. Multis saluti fuit adversis quoque rebus exerceri.

VI.

PISCATOR ET PISCICULUS.

Piscator maris passim litus radens, ac tenui calamo dulcem sustentans vitam, parvum quondam piscem seta cepit equina, eorum qui sunt in sartaginem idonei.

Piscis autem illum sic precabatur palpitans : « Quid inde « lucri tibi? aut quanti me vendes? Statura enim mihi nondum « est perfecta, quippe quem nuper ad hancce rupem phycis

Corayum p. 23, 4 : εἰ γὰρ αὖθις ἐνταῦθα εἰσέλθῃς, ἐγώ σοι τὰ τῆς ἁρπαγῆς ἐπιδείξω ἐπίχειρα. — « Meliorem sortitus cladis mercedem », quam rivalis sortitus erat victoriæ.

11. A, ἄλλου · σε πλέον. Transposui propter metrum.

F. VI. Conf. Coray. Fab. 124, p. 67, 326; Avianus Fab. 20.

1. A, ἠϊόνα. Rescribendum fuit ᾐόνα, metro jubente. Suidas : Ἠϊών, ὁ αἰγιαλός· ἠϊόνα, αἰγιαλόν, ὄχθην.

2. A, λεπτῷ καλάμῳ. Inserui τε, fulciendo versui. Suidas : ζώων, ζῶν. Epithetum γλυκὺν non exspectabam quidem, κακὸν potius ex Moscho 5, 9.

3. Est ὁρμιὴν, ὁρμιῇσι producto iota in Oppiani Hal. 3, 75, 78, ubi forsan scribendum ὁρμειὴν, ὁρμειῇσι. Scriptum est ὁρμειαὶ in Theocriti Id. 21, 11, idque sine varietate, ut videtur.

4. A, ὡραῖον, quod mutavi.

5. A, ὁ δ' αὐτὸς οὗτος. Visum est rescribere, ὁ δ' αὐτὸν οὕτως. Fabulæ collatæ : σμικρὰ δὲ οὖσα (scilicet capta σμαρίς) ἱκέτευεν αὐτόν.

8 A, φυκὶς ἔχυσε. Scripsi metri causa, φυκὶς ἀπέχυσεν. Vide F. 2, n. 2.

« Νῦν οὖν ἄφες με· μὴ μάτην ἀποκτείνῃς.
« Ἐπὴν δὲ, πλησθεὶς φυκίων θαλασσείων,
« μέγας γένωμαι, πλουσίοις πρέπων δείπνοις,
« τότ' ἐνθάδ' ἐλθὼν ὕστερόν με συλλήψῃ. »
Τοιαῦτα μύζων ἱκέτευε καὶ σπαίρων·
ἀλλ' οὐκ ἔμελλε τὸν γέροντα θωπεύσειν.
Ἔφη δὲ πείρων αὐτὸν ὀξείῃ σχοίνῳ·
« Ὁ μὴ τὰ μικρὰ, πλὴν βέβαια, τηρήσας,
« μάταιός ἐστιν, ἂν γ' ἄδηλα θηρεύῃ.

Ζ'.

ΙΠΠΟΣ ΚΑΙ ΟΝΟΣ.

Ἄνθρωπος ἵππον εἶχε. Τοῦτον εἰώθει
κενὸν παρέλκειν· ἐπετίθει δὲ τὸν φόρτον
ὄνῳ γέροντι. Πολλὰ τοιγαροῦν κάμνων,
ἐκεῖνος ἐλθὼν πρὸς τὸν ἵππον ὡμίλει·
« Ἄν μοι θελήσῃς συλλαβεῖν τι τοῦ φόρτου,
« τάχ' ἂν γενοίμην σῶος· εἰ δὲ μὴ, θνήσκω. »
Ὁ δ' « Οὐ προάξεις »; εἶπε· « μὴ δ' ἐνοχλήσῃς
Εἷρπεν σιωπῶν· τῷ κόπῳ δ' ἀπαυδήσας
πεσὼν ἔκειτο νεκρὸς, ὡς προειρήκει.
Τὸν ἵππον οὖν παρ' αὐτὸν εὐθέως στήσας
ὁ δεσπότης, καὶ πάντα τὸν γόμον λύων,

10. Suidas : Φυκία,... βρύα. Α, θαλασσίων. Iotacismus ducebat ad correctionem quam feci. Malim fere θαλασσαίων.

13. Suidas : ἀπὸ τοῦ μῦ παρῆκται τὸ μύζειν... μύζειν δέ ἐστι τὸ τ ποιὸν ἦχον ἀποτελεῖν. Qu pisces, non fatur Babrii ζει, sed mugit. Fontainii

« genuit mater. Nunc igitur me sinas abire, neque occidas in-« cassum. Ast, quum, marina fartus alga, factus ero grandior, « beatisque jam cœnis idoneus, tunc huc veniens serius me « capies ».

Talia mussitans rogabat saliensque. Sed non erat senecionem blanditiis decepturus, qui, acuto illum junco trajiciens, sic est fatus : « Qui parva quidem, at certa, non servavit, « stolidus est, incerta si venetur ».

VII.

EQUUS ET ASINUS.

Homo quidam equum habebat, quem vacuum protrahere solitus, vetulo sarcinam imponebat asino.

Hic igitur, valide exercitus labore, ad illum accessit, dixitque: « Si mihi voles aliquam oneris partem assumere, forsan evase-« rim salvus ; quod si noles, morior ».

Ast equus « Nonne procedes »? ait. « Nec sis molestus « mihi ». Et procedebat asinus silens; tum lassitudine confectus cecidit, jacuitque mortuus, ut prædixerat.

Ergo propter asinum ocyus equum dominus collocans, to-

pauvre carpillon lui dit *en sa manière* ».

14. Suidas : θωπεύει, αἰτιατικῇ· ἀπατᾷ.

Fab. VII. Conf. Coray. F. 125, p. 68, 327 ; Knoch. Fragm. 31; Plutarch. Præc. Sanit. c. 25.

7. A, προάξεις εἶπε μηδ' ἐνοχλήσῃς ;

8. A, εἶρπε. Feci spondæum.

ἐπ' αὐτὸν ἐτίθει, τὴν σάγην τε τοῦ κτήνους,
καὶ τὴν ὀνείην προσεπέθηκεν ἐκδείρας.
Ὁ δ' ἵππος « Οἴμοι τῆς κακῆς » ἔφη, « γνώμης!
« Οὐ γὰρ μετασχεῖν μικρὸν οὐκ ἠβουλήθην,
« τοῦτ' αὐτό μοι πᾶν ἐπιτέθεικεν ἡ χρεία. »

Η'.

ΑΡΑΨ ΚΑΙ ΚΑΜΗΛΟΣ.

Ἄραψ κάμηλον ἀχθίσας ἐπηρώτα,
πότερ' ἀναβαίνειν μᾶλλον, ἢ κάτω βαίνειν
αἱροῖτο. Χὡ κάμηλος, οὐκ ἄτερ μούσης,
εἶφ' · « Ἡ γὰρ ὀρθὴ τῶν ὁδῶν ἀπεκλείσθη »;

Ὁ λόγος εὔθετος πρὸς ἄνδρας διεστραμμένους τῆς εὐθείας ὁδοῦ ἐκκλίνοντας.

12. Suidas : σάγη, τὸ τοῦ ὄνου ἐπίθεμα· « ἐπ' αὐτὸν ἐτίθει τὸν γόμον, τὴν σάγην τε τοῦ κτήνους. » Idem : « Ὀνεία, ἡ τοῦ ὄνου δορά · » τὴν σαγήν τε τοῦ κτήνους Καὶ τὴν ὀνείαν προσεπέθηκεν τοῦ κτήνους ». Βάβριός φησιν. Tyrwhitius, Corayus, Hnschkius in Miscellaneis Matthiæ p. 11, et Knochius, quem vide p. 176, ὀνείαν admiserunt, neque potuerunt aliter. A, ὀνείην, ionice, quod præstat.

16. A, οὐ.

tamque solvens sarcinam, huic eam imposuit, clitellasque etiam jumenti; cujus et pellem superaddidit a se detractam cadaveri.

Tunc equus « Hei mihi »! inquit; « Ah perversam sententiam « meam! cujus etenim levem nolui partem subire, onus illud « ipsum mihi totum imposuit necessitas ».

VIII.

ARABS ET CAMELUS.

Arabs imposita camelum sarcina interrogabat, utrum ascendere potius, an descendere mallet.

Cui camelus, non sine sapientia, « Numnam recta », inquit, « occlusa est via »?

Hominibus est conveniens narratio perversis et a recta declinantibus via.

Fab. VIII. 1. Comparanda forma ἀχθήσας, apud Hesychium, cum interpretatione γομώσας, ἤγουν πληρώσας. Verbum ἀχθίζω nondum innotuisse videtur.

3. Οὐκ ἄτερ μούσης, non sine judicio, non sine prudentia, non sine acumine. Suidas : μοῦσα, γνῶσις. Atque Hesychius : μοῦσα, τέχνη.

4. A sine interrogatione, quam apposui.

In affabulatione forsan καὶ τῆς scribendum.

Θ΄.

ΑΛΙΕΥΣ ΑΥΛΩΝ.

Ἁλιεύς τις αὐλοὺς εἶχε, καὶ σοφῶς ηὔλει.
Καὶ δήποτ᾽ ὄψον ἐλπίσας ἀμοχθήτως
πολὺ πρὸς αὐλῶν ἡδυφωνείην ἥξειν,
τὸ δίκτυον θεὶς ἐτερέτιζεν εὐμούσως.
Ἐπεὶ δὲ φυσῶν ἔκαμνε καὶ μάτην ηὔλει,
βαλὼν σαγήνην, ἔλαβεν ἰχθύας πλείστους.
Ἐπὶ γῆς δ᾽ ἰδὼν σπαίροντας ἄλλον ἀλλοίως,
τοσαῦτ᾽ ἐκερτόμησε, τὸν βόλον πλύνων·
« Ἄναυλα νῦν ὀρχεῖσθε· κρεῖσσον ἦν ὑμᾶς
« πάλαι χορεύειν, ἡνίκ᾽ εἰς χοροὺς ηὔλουν ».
Οὐκ ἔστιν ἀπόνως οὐδ᾽ ἀλύοντα κερδαίνειν·
ὅταν βαλὼν δὲ τοῦθ᾽ ἕλῃς ὅπερ βούλει,
τοῦ κερτομεῖν σοι καιρός ἐστι καὶ παίζειν.

Ὁ μῦθος λέλεκται πρὸς τοὺς ματαίως παρὰ τὸ δέο ζομένους.

Conf. Fab. Coray. 130, p. 72, 331; Milleriana p. 253.

3. Fabula collata : τὸ μὲν πρῶτον ἥδετο, νομίζων πρὸς τὴν ἡδυφωνίαν τοὺς ἰχθύας ἐξελεύσεσθαι. Mutatum fuit ἥδετο in ᾔδετο. Sed media vox ᾄδομαι in tali oratione valde insolens est. Servari bene ἥδετο potuit, sibi scilicet placebat, arte musica utens; vel periit ἥδετο αὐλῶν, ἥδετο φυσῶ·

4. A ἠτέριζεν. Correxi τιζεν. Etymologicum M. : μουσικῶς φωνῶ. In eamd nem incidit Μηνᾶς vir do bum in Platone se legisse

7. A, δὲ ἰδὼν ἀσπαίροντ

IX.

PISCATOR TIBICEN.

Piscator quidam tibias habebat quibus docte canebat. Atqu ideo obsonium sperans amplum, suo sine labore, suavi ti biarum adfore excitum sono, rete deposito, modulate cantil labat.

At quum sufflando buccas delassaretur et frustra tibicinaret jacta sagena, pisces cepit quam plurimos; humi quos cernen alium alio palpitantes modo, sic est cavillatus, jactum dun lavat retis : « Saltatis nunc sine tibia. Satius fuit vos saltar « pridem, quando choris præibam tibia. »

Non est ut sine labore et otiose vagans lucrum facias. A quum ictu certo præda potiere cupita, tunc dicere dicteri tempus erit ac ludere.

In eos narrata fabula fuit, qui incassum aliquid agunt e secus quam oportet.

tavi metri causa. Est usus verbo σπαίρω Fab. 6, 13; ἀσπαίρω, F. 6, 5.

9. A, ὀρχεῖσθαι. Quam feci mutationem jubebat lex metrica. Similis sonus vocalium αι et ε id mendum pepererat.

12. A, τοῦτο θέλῃς. Descriptor vir doct. proposuit τοῦτο λάβῃς. Puto m correctionem fecisse faciliorem.

13. A, τὸ κερτομεῖν. Scripsi τοῦ κ.

In affabulatione prosa malim ades καὶ ante παρὰ, idque repræsentavi in l tinis.

Ι′.

ΔΟΥΛΗ ΚΑΙ ΑΦΡΟΔΙΤΗ.

Αἰσχρᾶς τις ἤρα καὶ κακοῤῥύπου δούλης
ἰδίας ἑαυτοῦ, καὶ παρεῖχεν αἰτούσης
ἅπανθ' ἑτοίμως. Ἡ δὲ, χρυσίου πλήρης,
σύρουσα λεπτὴν πορφύραν ἐπὶ κνήμας,
πάσῃ μάχην συνῆπτεν οἰκοδεσποίνῃ.
Τὴν δ' Ἀφροδίτην, ὥσπερ αἰτίην τούτων,
λύχνοις ἐτίμα, καὶ καθ' ἡμέραν πᾶσαν
ἔθυεν, ηὔχεθ', ἱκέτευεν, ἠρώτα·
ἕως πότ' αὐτῶν ἡ θεὸς καθευδόντων,
ἦλθεν καθ' ὕπνους, καὶ φανεῖσα τῇ δούλῃ,
« Μή μοι χάριν σχῇς ὡς καλήν σε ποιούσῃ·
« τούτῳ κεχόλωμαι » φησίν, « ᾧ καλὴ φαίνῃ ».
Ἅπας ὁ τοῖς αἰσχροῖσιν ὡς καλοῖς χαίρων,
θεοβλαβής τίς ἐστι καὶ φρένας πηρός.

Conf. Fabula Ignatii apud Corayum p. 228; Knochii Fragm. 22.

1. Suidas : ἤρα· ἐπεθύμει, ἐγλίχετο, ἐρωτικῶς εἶχεν· « Αἰσχρᾶς τις ἤρα καὶ κακοτρόπου δούλης ». Multum præstat lectio κακοῤῥύπου. Amare puto difficilius esse κακόῤῥυπον quam κακότροπον δούλην.— Est in libris Suidæ pro αἰσχρᾶς varietas σαπρᾶς, quam « non spernebat » Tyrwhitt. p. 59. Vide Knoch.

2. A, ἰδίας αὐτοῦ. Scripsi trum, ἰδ. ἑαυτοῦ. Ac forsa αἰτούσῃ. Nasci potuit σης e mata syllaba σῃι.

5. Videtur esse πάσῃ in cum ellipsi nominis τέχνῃ, das : πάσῃ μηχανῇ, ἀντὶ τοῦ τρόπου· πάσῃ τέχνῃ, ἐκ π Vel subaudiri potest προφάσ mula ἐπὶ πάσῃ προφάσει :

X.

ANCILLA ET VENUS.

Turpem quidam ac male sordidam ancillam ardebat suam, et poscenti præbebat cuncta paratissime; quæ abundans auro, tenuemque filo trahens circa suras purpuram, quavis occasione pugnam dominæ familias conserebat.

Venerem autem utpote felicitatis auctorem incensis lychnis honorabat, et, nulla non die sacrificans, precabatur, supplicabat, rogabat, donec tandem ambobus una dormientibus adstitit per somnos dea; et, ancillæ visa ante oculos, « Ne mihi « gratiam referas quasi te pulcram fecerim : isti » inquit, « suc- « censeo cui pulcra videris ».

Quicumque turpibus gaudet ut pulcris, est divinitus mente percussus nec integer animi.

Aristænetum p. 482. Fronto Epist. p. 59: ἔπειτα δὲ καὶ ὑμῶν ἐμεμνήμην καὶ ὠνόμαζον ὑμᾶς ἐν τῷ συγγράμματι, ὥσπερ οἱ ἐρασταὶ τοὺς φιλτάτους ἐπὶ πάσῃ . Addidit vir eximius τιμῇ pro voce quæ in codice nunc non potuit legi. Quam correctionem Heindorfius merito improbans, proposuit ipse σελίδι, nec illam bonam. Malim ἐπὶ πάσῃ προφάσει. Cum σελίδι, præpositio ἐν, non ἐπί, fuerit scribenda, vel propter symmetriam : ἐν συγγράμματι..... ἐν πάσῃ σελίδι.

9. Malit Μηνᾶς : Ἕως ποτ' αὐτῆς ἡ θεὸς καθευδούσης· probabilius, ni fallor, quam verius. Quum dea τούτῳ κεχόλωμαι dicit ᾧ καλὴ φαίνῃ, videtur et servam pellicem et herum simul reperisse jacentes.

10. A, ἦλθε. Spondæum feci.

13. A, αἰσχροῖς. Antibacchium feci.

ΙΑ΄.

ΑΝΘΡΩΠΟΣ ΚΑΙ ΑΛΩΠΗΞ.

Ἀλώπεκ' ἐχθρὰν ἀμπέλων τε καὶ κήπων
ξένῃ θελήσας περιβαλεῖν τις αἰτίῃ,
τὴν κέρκον ἅψας, καὶ λίνον τι προσδήσας,
ἀφῆκε φεύγειν. Τὴν δ' ἐπίσκοπος δαίμων
ἐς τὰς ἀρούρας τοῦ βαλόντος ὡδήγει
τὸ πῦρ φέρουσαν. Ἦν δὲ ληΐων ὥρη
καὶ καλλίπαις ἄμητος ἐλπίδων πλήρης.
Ὁ δ' ἠκολούθει τὸν πολὺν κόπον κλαίων·
οὐδ' εἶδεν αὐτοῦ τὴν ἅλωνα Δημήτηρ.
Χρὴ πρᾷον εἶναι μηδ' ἄμετρα θυμοῦσθαι.
Ἔστιν τὶς ὀργῆς Νέμεσις, ἣν φυλαττοίμην,
αὐτοῖς βλάβην φέρουσα τοῖς δυσοργήτοις.

Conf. Corayanæ Fab. 163, p. 99, 352.

1 Compara γεράνους σποραίων πολεμίας, Fab. 13, 1.

2. Est hic αἰτίῃ pro βλάβῃ, significatione non valde frequente.

4. Puto ἐπίσκοπον δαίμονα Δ vel Νέμεσιν. Babrius Fab. 43, (δὲ Νέμεσις ἢ τὰ γαῦρ' ἐποπτεύει, γῆς ἐποπτεύει, ut est in varieta infra v. 11.

XI.

HOMO ET VULPES.

Vulpem vinearum hostem et hortorum inaudita quidam cupiens involvere calamitate, incensam ad caudam fasce alligato lineo, dimisit in fugam.

At quod res hominum inspicit numen in agros illam illius direxit qui miserat, flammas secum ferentem.

Aderat autem segetum tempestas, speque plena pulcrarum æstas mater spicarum.

Et homo sequebatur magnum deflens laborem; neque benignis ejus aream oculis respexit Ceres.

Oportet esse mansuetum nec immodice irasci. Est quædam iræ Nemesis (a qua utinam caveam!), illos afficiens malo qui gravius irascuntur.

6. A, φεύγουσαν. Quod, quum metro adversaretur, mutavi in φέρουσαν.

7. A, ἀμητός. Suidas: ἀμητὸς, αὐτὰ τὰ τεθερισμένα, ὀξυτόνως, οἷον ὁ σταχύς· προπαροξυτόνως δὲ ἄμητος, ὁ καιρὸς τοῦ θέρους, ἐν ᾧ δεῖ ἀμᾷν. Hinc scribendum videbatur ἄμητος, quod fuerit synonymon τῆς ληΐων ὥρας, quum non messis sed ipsa æstas messi matura possit dici καλλίπαις. Cf. F. 19, 5.

8. A, ὁδ'. Malui ὁ δ'. Fabula Coraya na: ὁ δ' ἠκολούθει θρηνῶν.

ΙΒ΄.

ΑΗΔΩΝ ΚΑΙ ΧΕΛΙΔΩΝ.

Ἀγροῦ χελιδὼν ἐξεπωτήθη μακράν.
Εὗρεν δ᾽ ἐρήμοις ἐγκαθημένην ὕλαις
ἀηδόν᾽ ὀξύφωνον· ἡ δ᾽ ἀπεθρήνει
τὸν Ἴτυλον ἄωρον ἐκπεσόντα τῆς ὥρης.
Ἐκ τοῦ μέλους δ᾽ ἔγνωσαν αἱ δύ᾽ ἀλλήλας·
καὶ δὴ προσέπτησάν τε καὶ προσωμίλουν.
Ἡ μὲν χελιδὼν εἶπε· « Φιλτάτη, ζῴοις.
« Πρῶτον βλέπω σε σήμερον μετὰ Θράκην.
« Ἀεί τις ἡμᾶς πικρὸς ἔσχισεν δαίμων·
« καὶ παρθένοι γὰρ χωρὶς ἦμεν ἀλλήλων.

Conf. Coray. Fab. 149, p. 87, 90, 346; Knochii Fab. prima p. 52.

1. A, μακρὰν ἐξεπωτήθη. Nec alio ordine editiones. Non offendebat Tyrwhittus ad spondæum quartæ sedis, nec Corayus. Sed ille fuit metricæ peritissimus, hic passim ostendit se talia vix intelligere, politicos versus, nec omnes bonos, pro bonis choliambicis lectoribus proponens. Knochius verba transposuit, et eum fui sequutus. Posset quidem scribi μακρὸν ἐξεπωτήθη, et memini in versu Ajacis 1039, Μὴ τεῖνε μακράν, ἀλλ᾽ ὅπως κρύψεις τάφῳ, repertam fuisse varietatem μακρόν. Sed ἀγροῦ μακρὸν minus haberet proprietatis. Lectionem Aldinam ἐξεποτήθη mutandam viderat Tyrwhittus Dissert. p. 49, in ἐξεπωτήθη, quod jam exhibebat Frobeniana anni 1530, p. 250.

2. Suidas: ἐγκάθηνται, ἐγκεχρυμμένοι εἰσίν.

4, Olim, τὸν Ἴτυν. Qu bet Gregorius Naz. in ej ganti enarratione Epist. 1 τῆς γλώττης, τὰ γράμματο τὸν Ἴτυν· male omissis v της in codice 2991 A. Non lectionem novam repudia λος Homericum pueri no merorum successio om Ferme malim non lusisse vocabula ἄωρον ὥρης. C pessimo consilio recepit T jecturam ζωῆς. Est ὥρης ἥβης.

5, 6, nondum noti era

7, Edit. χὴ μὲν, χ. φ εἶπε, φ. A, ζώεις. Olim, ζώ tavit Tyrwhittus in χαίρ cepitque temere Corayus runt viri doct. posse ζ salutandi haberi. Mem Westonis conjecturam σ

XII.

LUSCINIA ET HIRUNDO.

Procul ab agro evolavit Hirundo. Reperit autem deserti
Certatim scripserunt alii : πείνης ἄκος ... κακὴν τέχνην. Est ἄκος certum ; F. 94, 4 : πόνων ἄκος. Κακῆς τέχνης vix probabile est, quum non pateat quid velit ἄκος κακῆς τέχνης. Comes convertit liberius, « artis et malæ vasa »; liberius quidem, sed forsan recte. Potest enim κακὴν τέχνην significare artis malæ instrumenta, tympana et cymbala, cultros, flagra talis ovium tesselata tænisque lanosis fimbriata, libellos canticorum, tabellas pictas, ceteraque scruta ac superstitionum crepundia, et deæ simulacrum. Nam id erat in sarcinis impuræ factionis præcipuum, ac « deæ gerulus » Apuleio dictus est gallorum asinus ob tale ministerium Met. 8, p. 173. Atque inde mihi fere videbatur reddi posse κακὴν τέχνην per « vile deæ simulacrum »; quum sumatur non semel τέχνη, πόνος, κάματος pro ipso artis opere, meminerimque Mercurii Scopæ dicentis de se in Epigrammate : εἰμὶ γὰρ τέχνα Σκόπα. Et ita reddidissem, ni me retineret epithetum κακὴ de deformitate sic nude dictum.

Οὗτοι δὲ κύκλῳ πᾶσαν ἐξ ἔθους κώμην
περιόντες ἔλεγον πολλά. Τίς γὰρ ἀγροίκων
οὐκ οἶδεν Ἄττιν λευκὸν, ὡς ἐπηρώθη;
Τίς οὐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε καὶ σίτων
ἁγνῷ φέρων δίδωσι τυμπάνῳ Ῥείης; ***

Α'.

Εἰ μὴ γὰρ ὑμεῖς στελεὰ πάντα τίκτοιτε,
οὐκ ἂν γεωργὸς πέλεκυν ἐν δόμοις εἶχεν.

Β'.

Ταύτης ἀκούσας μικρὰ τιττυβιζούσης.....

Γ'.

Σοφῆς ἀράχνης ἱστὸν εὗρε κωλώτης,
καὶ λεπτὸν ἐνέδυ φᾶρος ἐκτεμὼν τοίχου.

6. Tzetzes, Comes et Corayus : περιιόντες ἔλεγον, τίς. . . quarto pede mutilo. Bentleyus : περιϊόντες ἐλέγοντο· τίς... Quod non explicabat; nec explicabat, qui id repetebat Tyrwhittus. Eos sequutus Knochius ἐλέγοντο videtur cepisse pro latino « dicebantur ». Sed quid inde fit lucri? Scripsi περιόντες ἔλεγον cum Dobræo Add. ad Plutum p. 135, cui paret Levisius; et inserui πολλὰ e conjectura, implendo versui. Corayus ἔλεγον, post Comitem, habebat pro « dicebant »; nam sequentia τίς... Ῥείης commatibus marginalibus sepivit directam velut orationem. Equidem ἔλεγον cepi pro « colligebant », et περιόντες pro περιιόντες, cujus scripturæ sunt exempla. Τοῦ ἔλεγον pro συνέλεγον significatio est obvia. Suidas : λέγω,... καὶ τὸ συλλέγω.

7. In latinis sequutus sum quod malim legere εἶδεν, pro οἶδεν. Quorum temporum tanta oculis et auribus parilitas est, ut sæpissime permutentur.

Isti autem per omnes circum pagos vagantes plurima corradebant.

Quis enim paganorum non spectavit fœminea Attin albedine decorum, quo mutilatus vulnere? quis non primitias leguminum et frugum casto non dat lubens Rheæ tympano? ***

I.

Si vos enim, arbores, manubria cuncta non gigneretis, domi securim non haberet agricola.

II.

Hirundinem illam quum audiisset tenui zinzilulantem modulo....

III.

Doctæ telam araneæ reperit stellio, et tenuia induit stamina, de pariete resecta.

Nocet οἶδεν sententiæ. Si Attidis fabulam pagani noverant, pauci accedebant; sed erant oculis curiosis omnes, illi etiam quibus fabula sordebat; ac pictum Attin nemo non volebat spectare, præsertim ob vulneris locum.

FRAGM. I. Apud Knochium p. 183, ex Suida v. στελεὸν, τὸ τοῦ πελέκεως ξύλον· « Εἰ μὴ... τίκτητε... εἶχε ». Βάβριός φησιν ὁ μυθογράφος. Conf. Coray. Fab. 356, cujus lectionem τίκτοιτε recepi post Knochium. In fine scripsi εἶχεν. — Responsum est Jovis arboribus apud ipsum querentibus, quod secarentur.

FRAGM. II. Apud Knoch. p, 185, ex Suida v. τιττυβίζετε, ποιὸν ἦχον ἀποτελεῖτε. Καὶ Βάβριος ἐπὶ Χελιδόνος· « Ταύτης.. » Conf. Coray. F. 248, p. 385. Juventini sumsi barbaram onomatopœiam.

FRAGM. III. Apud Knoch. p. 172, ex Suida v. καλώτης, ὁ ἀσκαλαβώτης· Βάβριος· « Σοφῆς... τοίχου ». Est lacer-

Δ'.

Ὄνῳ τις ἐπιθεὶς ξόανον εἶχε κωμήτης.

Ε'.

Κρεῖττον τὸ φροντίζειν ἀναγκαίων χρειῶν,
ἢ τὸ προσίσχειν τέρψεσίν τε καὶ κώμοις.

ς'.

Χὤπως ἔχῃ τι βουκόλημα τῆς λύπης,
ἀνέθηκε τοίχοις ποικίλας γραφὰς ζῴων.

Ζ'.

Ἃ σοι πέπρωται, ταῦτα τλῆθι γενναίως,
καὶ μὴ σοφίζου· τὸ χρεὼν γὰρ οὐ φεύξῃ.

tæ species, araneæ hostis. Dicitur Græcis et τοιχοβάτης.

FRAGM. IV. Apud Knoch. p. 173, ex Suida v. κωμῆται, καὶ οἱ γείτονες· Βάβριος· « Ὄνῳ ... » Conf. Coray. Fab. 256. Corayus pro εἶχε scribendum monet ἦγε, et est ἦγε in fabula collata, quod placuerat etiam Hemsterhusio. Bentleyus Diss. Æsopica § 7, cognita varietate ἦγε, non loco movebat alteram. Potest quidem ἐπιθεὶς εἶχε comparari syntaxi Herodoteæ, τους ἄλλους εἶχε καταστρεψάμενος et Babrianæ F. 88, 3; idque servavi. Placet tamen magis ἦγε.

FRAGM. V. Apud Knoch. p. 98, ex meis Anecdotis Gr. t. 1, p. 48, ubi: Βαβρίου· Κρεῖττον ... ἢ τὸ προσέχειν τέρψεσι καὶ κώμοις ». Quod correxi. Proposui etiam : ἢ τὸ προσέχειν νοῦν τέρψεσίν τε καὶ κώμοις. Levisius malebat : ἢ νοῦν προσίσχειν τέρψεσίν τε... Prætuli quod visum est corruptæ scripturæ propius; nam τὸ φροντίζειν fere poscit, ut τὸ servetur in altero versu. Codex Georgidianus τοῦ Μηνᾶ viri doct. nomen Βαβρίου omittit, exhibetque τὸ προσέχειν. Pertinuerunt illi duo versus ad fabulam de formica et cicada, quam claudebant. Cf. Coray. Fab. 134, p. 334.— Sententiæ memini christianæ de abstinentia in Epiphanii Physiologo c. 7: μὴ θέλῃς γαστριμαργίᾳ σχολάζειν, ἵνα

IV.

Asino paganus quidam simulachrum imposuerat.

V.

Satius est de rebus victui necessariis curam habere, quam deliciis indulgere et comissationibus.

VI.

Et ut haberet levamen quoddam mœstitiæ, appendit parietibus varias animalium picturas.

VII.

Quæ sunt tibi destinata fato, ea perfer generose, nec callidi quid doli comminiscitor ; fatalem enim non effugies legem.

μὴ ἀποβάλῃς τὴν τῶν μ' ἡμερῶν νηστείαν. Melius scriberetur μὴ θέλε. Sed id in Epiphanio præsertim non urgendum.

FRAGM. VI. Ex Suida in Βουκολήσας, ἀπατήσας· καὶ βουκόλημα, τὸ θέλγητρον. « Χὤπως ... ἐνέθηκε ... ζώων. Recepi ἀνέθηκε ex Scholio Pacis 153 ed. Aldinæ. Babrii nomen abest quidem; sed quis de auctore dubitabit? Pertinet distichon ad fabulam Corayanæ p. 393, quam quum ait vir optimus ἐκ τοῦ πεζοῦ (Furianæ) εἰς τὸ στιχηρὸν ἀποκαταστῆσαι, egregie lusit operam, ni intellexerit τὸ στιχηρὸν de numeratione syllabarum politica.

FRAGM. VII. Ex Etymologico M. in Πεπρωμένον· Βάβριος· « Ἅ σοι ... φεύξῃ ». Est affabulatio ejusdem fabulæ poetica, quod monstrat fabulatoris collati oratio prosa : ὁ μῦθος δηλοῖ ὅτι, ἃ μέλλει συμβῆναί τινι, τούτοις γενναίως ἐγκαρτερείτω, καὶ μὴ κατασοφιζέσθω· οὐ γὰρ ἐκφεύξει. Recepi, pro κατασοφιζέτω, Corayi conjecturam. Sententia est pervulgatissima. Alciphron 1, 25 : ζῆν μὲν γὰρ καὶ τεθνάναι μεμοίραται ἡμῖν, καὶ οὐκ ἔστι τὸ χρέος φυγεῖν κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις καθείρξας αὐτὸν τηρῇ· ἔνεργος γὰρ ἡ ἡμέρα ἐκείνη καὶ τὸ πεπρωμένον ἄφυκτον. Codex bonus quem contuli : πᾶσιν ἡμῖν ... ἐν οἰκίσκῳ τις ἑαυτὸν καθ. τηρῇ. Et sic apud Demosth. Cor. § 28, expressum a sophista, ad cujus locum vide Bergleri notam.

Η'.

Οὔπω δὲ καιρός ἐστιν ἤϊ' ἀλλύειν.

Θ'.

Ὁ δ' ἐκ πετaύρου κλαγγὸν εἶπε φωνήσας·
« Πόθεν μαθήσῃ πόσσον εἰς ἕω λείπει,
« τὸν ὡρονόμον θύσας με »;

Ι'.

Ταῦτα δ' Αἴσωπος
ὁ Σαρδιηνὸς εἶπεν, ὅντιν' οἱ Δελφοὶ
ᾄδοντα μῦθον οὐ καλῶς ἐδέξαντο.

FRAGM. VIII. Suidas : ἠΐων ἀχύρων . . . Βάβριος· « Οὔπω δὲ καιρός ἐστιν ἤϊα λύειν. Recepi, post Knochium Fragm. 21, Tupii emendationem. Conf. Fab. 88, 11, ad quam versum retulit Schneiderus parum quidem probabiliter.

FRAGM. IX. Suidas : πέταυρα, τίγνα· Βάβριος· « Ὁ δ' ἐκ π. . . εἶπε βοήσας. . . θύσας με »; Pro βοήσας ex collata Fabula Coray. p. 265, Knoch. p. 124, correctio facta fuit. Forma πόσσον non morabitur qui τόσσῃ viderit et similia n. 11 ad Fab. 45.

FRAGM. X. Apud Knoch. p. 26, 135,

VIII.

Nondum tempus est palearum manipulos solvere.

IX.

Gallus autem *gallinaceus* ex pertica acuto dixit cum clangore : « Unde disces quantum temporis ad auroram usque « supersit, quum horæ nuntium me mactaveris »?

X.

Hæc autem Æsopus dixit Sardianus, quem Delphi recitantem fabulam non bene exceperunt.

ex Apollonii Lexico v. ἀειδε, ut est optime emendatus a Tyrwhitto. Non nominat quidem Apollonius mutilus Babrium; sed vix dubitari potest ob argumentum metrumque, et poeticæ orationis bonitatem, quin versus revera sint Babriani. Verba ᾄδοντα μῦθον conferri queunt cum ultimo versu prologi alterius ante literam M, τήνδε βίβλον ἀείδω. Quam male tractatus fuerit Æsopus a Delphis qui, ejus loquendi libertatem non ferentes, illum de rupe Hyampeia præcipitaverunt, narratum a Planude est, Suida, Plutarcho, aliis.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 3, col. 2. Cum locis, qui monstrant appellatione liberorum usos esse magistros de discipulis, conferri potest Choricius in Procopium § 36 : ὅσων γέγονε παιδευτής, τοσούτων ὑπῆρχε πατὴρ, ἴσα καὶ τέκνων τοὺς φοιτητὰς ἀγαπῶν. Codices quos vidi duo, ἴσα καὶ τέκνω, scilicet ἴσα καὶ τέκνῳ, quod recipiam, quamvis exspectetur potius τέκνοις. Sed si unicum habuerit filium Procopius, jam τέκνῳ unice probum est.

P. 4, 6 : ἐπὶ τῆς δέ) Ad collocationem conjunctionis neminem offendere posse, utique debere reor. Sic F. 43, 5; 86, 2.

P. 5, 5. Legendum, « pinique folia ». Ennius quidem Euripidis verba initio Medeæ, τμηθεῖσα πεύκη vertit « cæsa abiegna trabes »; sed imitatorem se ferebat, et suo poetæ jure utebatur. Fidus magis interpres fuit Phædrus, cui nominatur « Pinus Thessala ». Latinorum abies est Græcis ἐλάτη, pinus πεύκη. Et hodieque iisdem nominibus eas arbores Græci vocant.

Fab. 6, 6. Vide F. 51, n. 6.

Fab. 11, 5. Conf. Knoch. Fragm. 51.

Fab. 16. Conf. Knoch. Fr. 56.

P. 39, col. 2, 6. Lege ἐλπίσιν pro ἐλπίβιν. Sæpius fugiunt visum, inter legendum specimina, mendæ prægrandes, quæ in plagulis nitidioribus, neque jam sub prelo reponendis, statim quasi insiliunt oculis eosque lædunt. Sic nuper in Anecdotis Novis, quum jam emissa volarent irrevocabilia, obstupui incidens p. 100, n. 1, in παθήματα παθήματα, pro παθ. μαθή-

ματα. At me consolor ipse domi reputans quam sæpe viri multo me eruditiores et magna meritissimaque diligentiæ laude florentes eo peccaverint modo. Alicubi errata id genus quum emendarem meâ, negligentiam redemturus, pro menda unaquaque correctionem loci alicujus offerebam criticam. Quod et hodie faciam. Florus 2, 2, 31 : « Quantus o tunc triumphus tempestate intercidit, quum opulenta præda classis, adversis acta ventis, naufragio suo Africam et Syrtes, et omnium ripas gentium, insularum litora implevit »! Verba « omnium ripas gentium » e conjectura Grævii editiones ingressa sunt pro lectione codicum « omnium imperia gentium ». Et qui id recipiunt se textum aiunt restituisse. Sed puto Florum non adeo fuisse jejunum ut ripas jungeret ac litora. Propono quod videtur mihi quidem melius, facilius saltem, « emporia ».

Fab. 18, 1. Avianus : « Immitis Boreas placidusque ad sidera Phœbus Jurgia cum magno conseruere Jove, Quis prior inceptum peragat mediumque per orbem Carpebat solitum forte viator iter .....» Quæ valde contorte sunt dicta et obscure. Forsan : « Quis prior inceptum peragat. Mediamque per urbem carpebat » ...; Ut sit « que » pro transitiòne, pro « autem »; vel « mediam ecce per urbem ... »; vel, servato « orbem », sensus erit viatorem iter carpere per medium terrarum orbem, qua sol est ferventissimus.

Fab. 18, 3, 13. Bis σισύραν anapæstum posuit in quarta sede, non sine symmetria quæsita. Sic F. 22, 13, 16, τιλλόμενος δακνόμενος tribrachos faciunt quartæ sedis, repetitis non infacete numeris.

Pag. 42, n. 4. Est ἐσυλήθη epitritus primus F. 78, 5.

Fab. 19, 7. Adde Burges. ad Eumen. 861; ac de verbo βουκολέω Babrii fragm. 6, p. 246.

Fab. 22, 8. Scrib. ἀκμαίη. Conf. Add. ad Fab. 98, 1, p. 257.

F. 22, 9. Suidas cum A consentiens exhibet ἔτιλλεν. Ait Knochius Suidam exhibuisse ἔτεμνεν ante Kusterum, qui e codicibus recte ἔτιλλεν prodiderit. At fuit olim ἔτεμεν, non ἔτεμνεν, testibus ipso Kustero, et Gaisfordio; et alio viro d. qui Suidæ principem editionem diligenter contulit, monetque sibi ἔτεμεν videri præferendum. Sed admisso ἔτεμεν, versus pessumdatur; animadvertendumque insuper non resecandos fuisse capillos, at avellendos, et ἔτιλλεν confirmari vv. 10, 13.

Pag. 54, n. 4. Cf. p. 59, n. 6; 74, n. 3.

Fab. 26, 10. Conf. pag. 182, col. 1.

Pag. 59, n. 6. Cf. p. 74, n. 3.

Fab. 31, 9, 10. Hos versus sibi ex Suida notos male referebat Knochius Fragm. 13 ad Fab. Canum et luporum, mihi Fab. 85.

Fab. 33. Conf. Knoch. Fab. 5.

Fab. 33, 3. Qui contulit locum Suidæ, νεὸς, ἡ νεωστὶ ἠροτριασμένη γῆ· « Καί τις γεωργὸς πυρὸν εἰς νεὸν σπείρας Φύλασσεν ἑστώς », Knochius, anteposita ejus auctoritate Vaticanæ lectioni ἐφύλαττεν, scripsit φύλασσεν. Augmentum, quod et inveni in A, fuit omnino præferendum. Vide n. 15, et ad Fab. 62, n. 2. Et ipse, quod spondæum mei codicis νειὸν, Suidæ iambo νεὸν prætulerim, non videbor ei culpandus qui legerit notam ad F. 95, 70.

Fab. 33, 8. Vide ad F. 62, n. 2. Vir d. qui ἠτήκει esse dixit in Vaticano, memoria fallebatur. Esse ἰθύκει in Vaticano tradidit editor Florentinus.

Fab. 36. Legendum : at nos incurvescimus

Fab. 38, 1. Velim rescribi ionice ἀγρίην, collatis Fab. 61, 5; 82, 1.

Fab. 43, 3. Pro σκιὰν reponas σκιὴν, ac vide F. 120, n. 1. Id

non est revera typographicum mendum, sed pariter redimetur, ac mulcta non una, quum sit mei proprium, nec possim illud cum compositore literarum lectoribusve communicare. Sibylla 4, 15 : Καὶ γῆ, καὶ ποταμοὶ, καὶ ἀενάων πόμα πηγῶν. Inserendum τε· ποταμοί τε καί. Rursus 8, 467 : Αὖθις δ' εὐφράνθη καὶ ἰάνθη κέαρ αὐδῇ. Lego, εὐφράνθη τε καί. Infra 478 : Σπαργνωθὲν δὲ βρέφος δείχθη θεοπειθέσι φάτνῃ. Sic editum est e conjectura pro σπαργανωθεὶς, σπαργανωθέν. Propono σπαργωθέν. Fuit σπάργω, esse σπαργῶ potuit.

P. 91, n. 9. Verbum αἰθριάζω est activum in epigrammate christiani poetastri inter Anecdota Paris. t. 4, p. 320 : Ἔρως ὁ δεινὸς ἐκτυφλοῖ μου τὰς φρένας· Ἀλλ' αἰθριάζει σὸς πόθος με, Χριστέ μου. Id olim edideram in Anecdotis Græcis t. 2, p. 56, et nuper repetivi in Anecdotis Novis p. 175, cum lectione meliore αἰθριάζοι. Sunt eodem Anecdotorum Gr. loco versus alii quos reperies et in Parisiensibus; quos inter distichon mihi εἰς τὴν ὑπαπάντην (imo ὑπαπαντήν), mendoso lemmate in An. Paris. p. 309, εἰς τὴν ὑποπαντήν. Est ὑπαπαντὴ nomen liturgicum festi Purificationis vel occursus Symeonis. Sunt inter Anthologiæ χριστιανικὰ duo εἰς τὴν ὑπαντὴν disticha, 46 et 114. Repræsentavit editor compendia codicis eo modo, ut ὑπαντὴν bonam esse lectionem videatur; sed in apographo Spalettiano bis est integrum nomen εἰς ὑπαπαντήν. Esse credo utramque formam in usu, sed hanc frequentissimam. Acta Eliæ Junioris p. 186 : πρώτη φεβρουαρίου μηνὸς ἥτις ἐστὶ πρὸ μιᾶς τῆς ὑπαντῆς τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. Potius dicere debuit τῆς ὑπαντῆς τοῦ Συμεῶνος. Sed solemnis est festi appellatio, ἡ ὑπαπαντὴ τοῦ Κυρίου, ἡ ὑπαπαντὴ τῆς Θεοτόκου. Textum editum a me allegabo potius quam alterum, qui sine ulla distinctione prostat horridior : Εἶδες, γέρον, βρέφος με· δεῦρο πρὸς πόλον, Ἰδεῖν τὸν αὐτὸν δημιουργὸν τοῦ χρόνου. Alloquitur Jesus Sy-

meonem, ut et in Anthologiæ Epigr. 46. Posteriorem versum conferam cum Epigr. 114 Anthologiæ : Ὁρώμενος νῦν χερσὶ πρεσβύτου βρέφος Παλαιός ἐστι δημιουργὸς τῶν χρόνων. Collato Luca 2, 25 ..., Allatio De Symeonibus p. 3.., nil erit in sententia poetastrorum obscuri. Adde de festi nomine græco Reisk. ad Constantini Cerimonias p. 87 B; Possin. Observ. ad Pachym. t. 1, p. 690; Labb. ad Novellas p. 146; Metrophan. in Meurs. p. 94; Junium ad Curopal. p. 331; Biblioth. Gr. t. 9, p. 117, 164; et c. Non finem imponam notæ jam paulo longiori quin vindicaverim lectionem Epigrammatis 46 : Πρεσβύτα, παῖδα δέχοιο, Ἀδὰμ προγενέστερον ὄντα, Ὅς σε βίου λύσειε καὶ ἐς βίον ἄφθιτον ἄξει. « Rectius » vir doctus ait, « scripseris λύσει τε ». Rectius recto inimicum est. Optativus pro futuro placuit valde poetis recentioribus, valde Sibyllæ. Sibylla enim 5, 193 : Συχνὴν δ' ὀλέσειε μέγας φώς. Rursus 3, 520 : Ἕλλησι δ' ὁπόταν πολυβάρβαρον ἔθνος ἐπέλθῃ, Πολλὰ μὲν ἐκλεκτῶν ἀνδρῶν ὀλέσειε κάρηνα· Πολλὰ δὲ πίονα μῆλα βροτῶν διαδηλήσονται ... Δώματα δ' εὐποίητα πυρὶ φλέξουσιν ἀθέσμως. Apte scripsit e codicibus Alexander vir d. ὀλέσειε pro ὀλέσεις. Illis qui conjecerant ὀλέσουσι propter sequens διαδηλήσονται, opponit editor præcedens ἐπέλθῃ. Variavit numerum poeta suo jure.

Fab. 47, 2. A, εἶχε.

P. 101, col. 2, 1. Serius doceor non fuisse editum a Fixio viro eruditissimo alterum Gregorii Nazianzeni volumen, quod curavit presbyter quidam parisiensis, cujus nomen ignoro.

Pag. 104, n. 1. Sæpe veteres ornatus poetici causa epithetis utuntur quæ vacarent omnino. Epithetum ἄρρενες de tauris noto quidem, sed non sollicitandum putaverim. Euripides Hel. 360 : σὲ γὰρ ἐκάλεσα, σὲ δὲ κατώμοσα τὸν ὑδρόεντα δόνακι χλωρὸν Εὐρώταν. Qui meminerim dixisse poetas veteres ὑγρὰ

κύματα, ὑγρὸν ὕδωρ, πέλαγος ὑγρὸν, ὑγρὸν Ἰσμηνοῦ ῥέεθρον, facile fero ὑδρόεντα δόνακι χλωρὸν Εὐρώταν. Sed quum duo epitheta dentur Εὐρώτᾳ, nullum δόνακι, non displiceret legi, τὸν ὑδρόεντι δόνακι χλωρὸν Εὐρώταν.

Fab. 55, 3. Augmentum plusquamperfecti, quod dedi Babrio, auferam lubens Sibyllæ sic editæ 1, 34 : θεῷ γὰρ πάντ' ἐμεμήλει. Prætulerim varietatem πάντα μεμήλει. Sed ibi est et aliud quod animadvertatur. Agitur de primis generis humani parentibus, vitam adhuc innocuam in Paradiso agentibus. Visa repente Eva pulcherrima, Adam μέγα θυμῷ Θαῦμ' ἔχεν ... οἷον ὁρᾶται Ἀντίτυπον μίμημα· σοφοῖς δ' ἠμείβετο μύθοις Αὐτομάτοισι ῥέουσι (θεῷ γὰρ πάντα μεμήλει)· Οὔτε γὰρ ἀκρασίῃ νόον ἔσκεπον, οὔτε μὲν αἰδῶ Ἄμφεχον, ἀλλ' ἦσαν κραδίαις ἀπάνευθε κακοῖο. Est κραδίαις, pro vulgato κραδίης, conjectura editoris qui sensum vidit, correctionem facillimam prætervidit : scilicet scribendum fuit κραδίῃς. Sed et me ἀκρασίῃ impedit. Forsan, ἀφραδίῃ. Est εὐφραδία sermonis elegantia; poterit esse ἀφραδία silentium.

Fab. 58. Vide Burges. Diario classico t. 25, p. 25.

Pag. 116, col. 1. Ellipseos adjectivi πλήρης exempla videsis et F. 27, 2; 34, 3.

Fab. 61, 7. A, ἀεί. Cf. p. 88, n. 1; p. 120, n. 4.

Pag. 129, n. 8. Ferme hic anceps est optio pronominis τοῦτο vel ταὐτό· at non in isto Pselli loco apud Millerum v. d. ad anonymum de Coma p. 69 : θαυμάζω δὲ ὑμᾶς ὅτι, πολλάκις ταῦτα πεποιηκότες ἢ πεπονθότες ἐμοὶ, ... οὐ πρὸς τὸ μέλλον ἐσωφρονίσθητε. Omnino rescribatur ταὐτά.

Pag. 129, col. 2, 1. Non importunum erit apponere quæ tantum indicavi Joannis Chrys. verba, quum occasionem suppeditent variantes lectiones e codice proferendi nondum collato. Joannes igitur Chrysostomus homilia post reditum : τί

λαλήσω; ποῦ σπείρω; οὐκ ἔχω χώραν ἔρημον. Codex 3087 recentissimus quidem, sed ex Vaticano antiquo descriptus: τί ποιήσω; τί λαλ... Idem paulo superius: ἤλθομεν οἱ διωχθέντες πρὸς τοὺς ἐλαθέντας· ἡμεῖς ἐπεβουλεύθημεν, ἐκεῖνοι ἠλάθησαν. Codex, ἐλασθέντας, ἠλάσθησαν. Quum sit utraque forma æque in usu, ex peculiari oratoris usu electio fiet. Statim: ἤλθομεν πρὸς τὰ σώματα ἅγια τοῦ Χριστοῦ βαστάσαντα τὰ στίγματα. Codex, τὰ σώματα τὰ ἅγια. Et sic latina conversio. Mox, διὰ τοῦτο παρακαλῶ, οὐχ ὡς δεομένων ὑμῶν διδασκαλίας, ἀλλ' ἵνα δείξω τὴν πρὸς ὑμᾶς ἀγάπην γνησίαν. Codex, δεόμενος. Tum orationis in ipso fine: ἐνταῦθα δὲ καταπαύσωμεν τὸν λόγον εὐχαριστοῦντες ἐπὶ πᾶσι τῷ φιλανθρώπῳ θεῷ ᾧ δόξα κτλ. Codex: καταπαύσω μου τὸν λόγον. — Εὐχαριστοῦντες ... Sic dividit sententias codex, ut εὐχαριστοῦντες sit valedicendi, et concludendi orationem formula elliptica. Et id ex usu oratoris dijudicabitur.

Fab. 72. Confer Burges. Classico Diario t. 25, p. 27; Knoch. p. 25.

Pag. 136, n. 22. In Ignatii Fabula nomen δῶρον, de plumis a cornicula subreptis, valde est improprium. Propono φῶρον, quod convenit sententiæ, nec repugnat analogiæ.

Pag. 140, n. 4. Est formula δέ γε in Sibyllinis Oraculis 1, 228, de Noe arca: ἔτεμεν δέ γε μυρίον ἀφρὸν Στείρα, κινυμένων ὑδάτων κελαρυζομενάων. Legendum στείρᾳ· non habendum enim στείρα pro casu recto, qui sit στεῖρα, pendetque ἔτεμεν a præcedente nomine οἶκος θεσπέσιος.

Fab. 75, affabul. p. 142. A, ἐχόντων. Syntaxis postulabat ἔχοντας, quod scripsi.

Pag. 146, n. 2. ἰχανῶσα) Vide Pearsoni Adversaria Hesychiana p. 395; quæ nuper summo criticorum studiorum bono in lucem protulit vir rever. et eruditiss. Th. Gaisfordius.

P. 167, n. 5. Est hiatus relictus in versu Sibyllino 5, 289: Αἲ αἴ, Λαοδίκεια, καλὴ πόλι· ὡς ἀπολεῖσθε. Propono πόλις.

Fab. 91. Conf. Knoch. fragm. 49. — 6. In sententia, γνώσῃ Πόσον τράγου μεταξὺ καὶ πόσον ταύρου, est nonnihil inconcinni, ut in versibus Horatii: « bellum incidit inter Hectora Priamiden animosum atque inter Achillem ... Nestor componere lites Inter Peliden festinat et inter Atriden » Qui rectius alibi: « Est inter Tanain quiddam socerumque Visellî ».

Fab. 92, 12. De hoc versu an sit Babrianus dubitationem auget illud ipsum participium ἐπιδεικνυμένους ab affabulatore prosaico adhibitum F. 121.

Fab. 97, 12. Versus, ut fuit a librario scriptus, est iambicus politicus, quem in choliambicum mutationibus non improbabilibus converti. Qui Babrium multum versavit, Suidas nomen μαγειρεῖον inseruit Lexico.

Fab. 98, 1. A, ὡραίας. Scripsi ὡραίης, memor Fabulæ 91, 1; 95, 19, ubi ἐρημαίην, Fab. 95, 1, ubi πετραίη, Fab. 86, 1, ubi ἀρχαίη, Fab. 108, 25; 109, 3; ac similium. In Fabula 22, 8, recipere debuissem ἀκμαίη, pro lectione codicis ac Suidæ ἀκμαία, illudque rescribat lectorem rogo; et Fab. 72, 21, Ἀθηναίη pro Ἀθηναία.

Pag. 208, v. 3. A, πρὶν πότ'.

Fab. 115. Indicavi conferendum Knochii fragm. 30, non quod Babrianum esse crederem, sed illustrationis tantum causa.

Fab. 115, 1. Animadvertendum est de Μηνᾶ conjectura λιμναίαις esse λιμναίους in eadem versus sede F. 24, 3.

Fab. 121, 1. A, ὄρνις πότ'.

ΠΙΝΑΞ ΤΩΝ ΜΥΘΩΝ.

INDEX FABULARUM.

INDEX ANNOTATIONIS.

DE

SANCTO CYPRIANO

ET DE PRIMÆVA

CARTHAGINIENSI ECCLESIA

Paris. — Imprimerie de Ad. R. Lainé et J. Havard, rue Jacob, 56.

DE

SANCTO CYPRIANO

ET DE

PRIMÆVA CARTHAGINIENSI ECCLESIA

DISQUISITIONEM HISTORICAM

ATQUE PHILOSOPHICAM

Facultati litterarum parisiensi

PROPONEBAT LICENTIATUS

ÆMILIUS BLAMPIGNON

CUI SUBEST SIMEONIS METAPHRASTÆ HAGIOGRAPHIA
HACTENUS INEDITA

PARIS
LIBRAIRIE DE FIRMIN DIDOT
RUE JACOB, 56.

1861

Paris. — Imprimerie de Ad. R. Lainé et J. Havard, rue Jacob, 56.

DE

SANCTO CYPRIANO

ET DE

PRIMÆVA CARTHAGINIENSI ECCLESIA

DISQUISITIONEM HISTORICAM

ATQUE PHILOSOPHICAM

Facultati litterarum parisiensi

PROPONEBAT LICENTIATUS

ÆMILIUS BLAMPIGNON

CUI SUBEST SIMEONIS METAPHRASTÆ HAGIOGRAPHIA
HACTENUS INEDITA

PARIS
LIBRAIRIE DE FIRMIN DIDOT
RUE JACOB, 56.

1861

I. R. Q. D.

DOMINO RAVINET,

TRECENSI EPISCOPO,

VIRO AD JUVANDA OPTIMA STUDIA NATO

HUNC QUALEMCUMQUE LIBELLUM

Æ. A. BLAMPIGNON,

D. D.

INDEX.

PRÆFATIO.

Cum libros eos evolvimus in quibus virorum enarrantur vitæ qui, de re christiana bene meriti, cœlicolarum ordinibus adscribuntur, exquisita quadam et, ut ita dicam, acri fruimur voluptate, utpote qui singularis spectaculi, quo simul nobilitatur homo ac deprimitur, testes adstemus. In illo magno theatro, quamvis accurate vulgares rejiciuntur imagines, quamvis et quæcumque humana ac terrestria sunt repudiantur, hæc tamen sæpe videre et sentire necesse est. Nulla nimirum, ut prisci viri verbum usurpem, est tam firma moles quam non exedant undæ per nexus manantes. Hoc autem quod humanum est, variis rerum vicissitudinibus obnoxium, nunc dolor, nunc gaudium agitat; itaque nobis modo sidera ferire est, modo humi serpere. Sanctorum igitur annales versanti tristis et frequens occurrit nubes; etenim ei mentis humanæ quasi historiam legenti, crebro malis animus sollicitari studiis videtur, et, cum pugnis cruentissimis atque laboribus misceatur præduris, ab hoste non raro occupari. Tum atra nox incubare rebus, tum horrore circumdatus vir jacere. At statim e cœlo erumpunt radii, il-

luminantur omnia, gaudia summa nascuntur, atque suavi ex illa mœstitia deliciæ quædam puræ oriuntur quæ legentem ebrietate divina complent.

Ideoque vir quidam philosophus, benedictini ritu, cella in solitaria cum Bollandi libris includi se magnopere exoptabat, quippe qui his omnis deditus, et quasi alteri mundo adscriptus civis, novas et prorsus incognitas inde perciperet voluptates. Quod votum quibuscumque nil humani a se alienum habetur, haud absurdum sane videbitur. Etenim si vitæ rationem in exemplo sanctorum pius vir potissimum quærit, inde generosorum animorum fontem rimari ac mentis profundos recessus penetrare philosophus persequitur; et, in historiis horum sanctorum, de immenso bonarum artium regno litterarum criticus sibi provinciam ingentem conatur vindicare. At vero ea triplici mente quisquis potest illorum tractare fastos, tum puræ doctrinæ, tum moralis investigationis, tum politioris humanitatis festivam segetem collecturus. Quod si forsan hoc in loco nubes alicui videantur obstare, inclytis Mabillonorum, Ruinartiorum, Ceillieriorum, Tillemontorum nominibus hujus animus prorsus serenabitur. Ac ne quis, nimia reverentia timidus, vultus eorum qui in christianis rebus eminuerunt oculis liberis contemplari dubitet, ex intimo illo commercio recordetur majorem orituram honorem, nedum rectus cultus imminuatur. Nempe, cum hominem discernimus, cum et rerum et temporum intelligimus apud eum notam ac signum, cum eadem quæ in nobis perspicimus, quid valeat victoria, quæ sit laus triumphi, tunc bene judicare possumus.

Jam vero præcellentium in virtute christiana hominum se, ut ita dicam, familiarem efficere, quam et utile et dulce

sit, inde etiam cognoscere fas est, quod sæpe sæpiusque et res et viros immutamus, quamvis uno aspectu cernimus. Aliud ex alio iter suscipitur; spectacula spectaculis variantur; sequitur vero idem comes.

Modo interius monasterium tibi inire, et quæcumque agantur videre, quæcumque dicantur audire licet; fratrum et quovis die et quavis hora conspicere exercitationes. Modo tranquillis e cœnobiis turbulentissimam ad imperantium vitam demigrans, potentium mores intueris, venatus scilicet, festas dapes, equestres procursiones, dies geniales, bella aut bellorum imagines. Ita, exempli causa, dulcis Walteri de Birbacho historia equestris pugnæ horum simulacrorum quibus summopere quadringenis abhinc annis nobiles ac militares viri delectabantur jucundissimam injicit mentionem. Walterius igitur ille qui Brabantinus civis erat ac natalibus insignis « cum præpararet se ad quoddam torneamentum, milites habens in comitatu, veniretque ad Ecclesiam quamdam, illos ut Missam audire vellent hortabatur. » — Quod cum negarent, religiosus vir in templo solus manet. At vero qui sacro functus erat, pugnæ susceptæ quidam testes ei occurrunt. Quos igitur interrogatus : « — Est ne, inquit, adhuc inceptum? —Dicentibus illis etiam, adjicit: — Quis fortius egit? — Respondent : Dominus Walterius de Birbacho. » — Vir sane, quamvis a pugnæ scena longe remotus fuisset, quamvis « sit mortale peccatum torneamenta exercere » egregiæ dulcisque victoriæ inclytam palmam consequi visus erat [1]. Divitum autem ab aspectu ac deliciis ad infinitam quam maxime miserorum turbam tran-

1. Bollandistarum, t. II, Jan., p. 447.

sire facile est, quos lepris, morbis, doloribus quibuslibet affectos reficit christiana spes ac recreat charitas. Hominum vero et rerum cum recessus ostendant intimos, cum animi latebras reconditissimas demonstrent, cum et ætatum et ordinum variorum aperiant secreta, sanctorum historiæ eos commovent ac delectant quicunque communis conditionis indagatores appetunt humana et mentis scientiam prosequuntur.

Enimvero nihil magis varium, nihil aspectu et indolis natura commutabilius, nihil et rerum et locorum et temporum magis multiplex quam doctissimis a Bollandistis collectorum imaginum longa series. Istam scilicet quasi pinothecam ineunti apparent coloribus depictæ diversis diversissimæ tabulæ : martyrum nimirum fortissimo atque ardentissimo exercitui succedunt tranquilla sub palmarum umbra sacræ solitudinis amantes, Pauli, Antonii, quivis e deserto patres. Dum locum alium occupat apostolorum cohors laboriosa et potens, alius dulcibus virginum imbellium, Agnetis aut Cæciliæ, tribuitur imaginibus. Miscentur episcopi et milites, imperatores et coloni, politissimi civitatum incolæ atque agrestiores villici ; hic imperii romani in legibus, et foro, et ludis, et proconsulibus, et tribunis, in rebus omnibus virisque versamur ; illic cum Bernardo et Brunone, mediis in sylvis, asceticæ vitæ provinciam intramus. Hic agrorum ubertas, flores, fructus, aquæ, putei, fontes, rusticanæ vitæ officia quæ tota ætatem antiquam, pristinos mores, bibliorum veterum patriarchas olet ; et si quid forsan horrescit, ut rupes, ferarum cubilia, hoc quidem ad tabulæ illius ornatum fuisse compositum videtur ; inter quæ conspicere licet homines quibus erat in votis ut in natura versati e natura

exirent. Illic civitatum tumultus, fremitus salutantium, militum clamores, murmur fori, populares strepitus, motus mercatorum, viarum frequentissimarum fragor, inquieta et anxia imperantium consuetudo, quibus tamen in rebus remoti ab omnibus sollicitudinibus et curis, solent nostri secreto et suavi recessu potiri, utpote qui non apud alios loqui didicerint, sed ipsi secum. Ab afflicta, labefacta, ruente societate ad juvenem atque floridum cultum sæpe sæpiusque transimus. Illi profecto ingenuam Romanorum linguam, quanquam aspere, loquuntur; Græcorum vero, quorum servitute diuturna attritam et obtusam mentem acuit renovatque ardens rei christianæ studium, vividum ac numerosum ore adhuc rotundo sermonem habent isti, quamvis Periclis a sæculo longissime distent; sed permulti mentibus atque memoribus suis elapsi, barbaras sane, at lucidas semper et nativas ac sæpius poeticas voces usurpant.

Cum flagrantissimi solis ignibus splendent historiæ quas Thebaidis cœnobitæ ad fontis caput enarrant, septentrionis mœstitia et nubibus obduci solent Britannicorum monasteriorum *legenda*, ut Columbani Hibernorumque vitæ, severa et quasi ferrea regula deductæ.

Cuique suum igitur ingenium permanet integrum. Dum spirat Athanasius leonis vigorem, dum Irenæi et Cypriani sermo ostendit pectus martyrio paratum (habent enim, ut jure ait Erasmus [1], martyres suam quamdam dictionem seriam, fortem ac masculam), incredibili quadam et mellita suavitate Francisci Salesii labia stillant. Quod si Theresiarum est pabulum rerum divinarum consideratio atque contemplatio, Vincentis a Paulo filiæ in laboribus, in cu-

1. *Præf. ad Irenæum*, ed. 1534.

ris, in assiduissimo tum agrorum tum pauperum commercio versantur. Ægypti veteris inter ruinas et tumulos, radicibus paucis atque modica contenti aqua, aut, Carmeli prope oleas, tenui olere læti, Orientis priores solitarii animi cultui omnem operam navabant; qui vero apud Occidentales vitam vivunt, in arando desudant, dumis extricant agros, agitantur, inter corporis labores et mentis studia dividunt horas. Quos tamen omnes movet pietas eadem, idem votum, eadem spes. Et sicut solis effigies, speculo reddita, radios ubique circumspargit, cuique tamen rei quam illuminat proprium et colorem et formam præbet,

> Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
> Sole repercussum, aut radiantis imagine lunæ,
> Omnia pervolitat late loca; jamque sub auras
> Erigitur, summique ferit laquearia tecti;

ita quodlibet Bollandi volumen evolventi, omnia fulgere videntur repercussæ sanctitatis imagine cujus radii modo regum turres, modo tabernas pauperum ab ortu ad occasum illustrant ac decorant; res vero, eodem licet lumine recreatæ, aspectum, sibi quæque suum obtinent.

Quis enim nescit ætatem suam et res et homines signis certis semper declarare? Hinc martyrum tempore pleraque tum fortia tum pura traduntur, utpote a Romanis adhuc viris scripta; deinde, postquam barbari jam imperium introierunt, enarranti duriora sonant verba. Ut mediæ ætatis florent splendidiores anni, paulatim de sanctis historiæ, cathedralium more ecclesiarum, disciplinam mollem, poeticam formam, nitidum et quasi hilarem habitum suscipiunt. Tum flores nascuntur, tunc fructibus exuberant rami. Ac si medii illius ævi scriptor priorum

sanctorum res gestas explicabit, ingenii proprii signa clarissima invenies. Cum ille in primorum cœlitum vitis incumbit, vividis templorum a coævis suis ædificatorum coloribus et splendide supervacuis ornatibus utitur. Alter urbis imperatoriæ virgines, ut quæ in parvis Burgundiæ vicis aut inter Campaniæ colonos tertio decimo sæculo vixerint, solet exhibere; alter nascentis Ecclesiæ pastores haud aliter depingit atque opulentissimos ac potentissimos hujusce temporis episcopos. Ex quo fit ut vir sane et ætate posterior et doctrina eminens, Baronius nimirum, Cyprianum nostrum et purpura et veste quibus romani cardinales induuntur nobis exornatum declaret. Attamen sub eis commentis vir bene oculatus reliquas primævæ simplicitatis signa potest aspicere, sicut e scriptis Quinti Curtii ac Plutarchi verus Alexander intelligitur. Jam vero ii sancti vulgatissimi, quorum videlicet vitæ, rerum ipsamet natura, sæpius narrabantur, vestibus, ut ita dicam, ditioribus imprimis decorantur. Sic, exempli gratia, Sebastiani et Catharinæ acta sacris et poetis et scriptoribus quasi dicendi argumenta et canendi materiæ fuerunt. Inde fit ut inter frondeam illam chartarum sylvam prisca evanuisse videantur, et ingenuorum loco librorum exornatas ac suavissimas habeamus enarrationes quæ scholasticam amplificationem olent, quæque disputationibus philosophicis et theologicis occupantur quæstionibus. Itaque Sebastianus moriturus de variis longe disserit ac præcipue *judiciariam astrologiam* curiosius confutat.

« Præcipe hodie ad te mathesis venire doctorem cui dicas illo tempore te asperis casibus laborasse, et inquire per quas stellas hoc tibi evenerit mali; responsa ejus erunt, procul dubio talia : quod tempus tuum a

malitioso Marte susceptum est, aut Saturnus apocasticus fuit, aut annus tuus ex diametro susceptus est, aut climacterica tibi in centro sunt nata, aut syndetus fuit cum malo, aut invisibilis, aut in schemate, aut immobilis circa te exstitit cursus in stellis. Hæc et similia cum dixerit, rationis tibi verisimile assignare nititur, aliquid et probare [1]. »

Quamobrem ut quid antiqui, ut quid primoris, ut quid certi de Sebastiano habeamus, elaboremus et insudemus necesse est. At plerumque sanctorum apud plebem minus valentium acta ad nos puriora et integriora pervenerunt. Haud aliter inter deserta romanæ ruinæ apparent quasi intactæ.

Inde, quinque et viginti millia vitarum quibus Bollandistina collectio conflatur tractantes [2], dum mare istud vastum tentamus, cœli et littora crebro mutantur, quippe cum anni ecclesiastici dierum rationem naviter Bollandistæ consecuti fuerint. Attamen nonne operæ pretium esset secundum regiones et ætates de sanctis componere libros? Quod sane Britannorum nostrorum causa egit vir profecto eruditissimus et naris emunctæ [3], at cujus urbanitas intempestiva immites Armoricæ fruges longe a se rejecit, ut Parisiensium tritum cultum exhiberet, nedum priscarum sylvarum atque frigidorum littorum acrioris odoris flores accurate indagaret. Magis vero ingenue, Campaniæ Trecensis res sacras collegit vir prorsus simplex [4] quem nimirum doctioribus ii anteponunt qui mo-

1. Apud Bolland., l. II, Jan., p. 274.

2. Quem numerum mihi præbet vir de historia optime meritus *Hist. civil. in G.*, lect. XVII.

3. D. Lobineau, 1717.

4. Des Guerrois, 1637.

rum pristinorum suffimento delectantur. Verum enimvero inter ἁγιογράφων scriptores plerique omnes, sive *legendæ aureæ* longobardicus auctor, sive græcus Metaphrastes, sive hispanus Ribadeneira, sive germanus Surius, sive Bollandistæ belgæ, kalendarii ordini studuerunt, ut piis legentium animis se accommodarent.

Imo, Lobinelli instar, historiam sanctorum permulti secundum propriam mentem solent dicere. Metaphrastes quidem cujus libri, quo nescio facto (paucis tamen exceptis vel a Surio et a Bollando latine redditis, vel a Cotelierio aut quibusdam aliis in lucem editis), adhuc in tenebris jacent [1], more Græcorum in infima ætate scribentium omnia evolvit, explicat, μεταφράζει, seu etiam proprio marte incudit. Quæ vulgo apud suos tradebantur at minime æqualium documentis curavit Jacobus de Voragine. Eo fere ritu plerumque Ribadeneira et symbolice dictis et ingeniose dictis et tantummodo indoctum apud vulgus acceptis, ut certis, ut sinceris, ut integris utitur. Sed ii saltem simplices ac pii viri ætatem suam jucunde redolent, dum permulti, Surii more, male auctoribus coævis consulentes, vetustam dicendi rationem commutant, atque ita nobis nec utilia nec amœna præbent, quippe qui neque merum stylum neque puram cujusque rei indolem exhibuerunt, at vivos colores adulterarunt, fontes turbarunt limpidissimos ac blandissimos atque miscuerunt, vitri splendorem per quod translucide

1. S. Metaphrastæ codicem recens ab Oriente relatum vir in Græcis litteris sagacissime versatus atque incredibili erga tirones benevolentia præditus Æ. Egger mecum humanissime communicavit. Imo Migné in *Patrologiam* suam Metaphrastem nobis sese inserturum pollicitus est.

viderentur et mores et homines, obscuraverunt et texerunt velo. Melius profecto meruerunt de sacris qui, Tillemontorum, Ruinartiorum, Cotellieriorum vestigiis instantes, monumenta ipsa decenti doctæque disputationi tradunt, atque ad justæ pondera libræ solent ipsi æquare.

Ego vero, si dicto absit invidia, dulciori afficior voluptate, cum mihi quæcumque sincera, quæcumque nativa, quæcumque prisca sunt, calamo licet fragili exarata, tractare datur. Potissimum si his quæ probat Ecclesia delectabitur mens christiana, quæ tamen ætatis suæ veram habent notam, cum etiam minorem fidem obtinent, suavi semper affectu recreant animum. Ideoque me imprimis juvant et Mabillonius qui Benedictinorum suorum sancte gesta conscripsit, et Ruinartius cujus opera martyrum acta collecta fuerunt, et inter illos facillime princeps Johannes Bollandus cum eruditissimis ejus successoribus qui potiora documenta ex ipsis sæpissime primigenis codicibus verbotenus atque ad litteram eruerunt. Quibus sane nihil fuit antiquius quam voces vetustissimas ipsas et barbariæ infectas labe, a primoribus chartis suos in libros transferre; atque etiam, quandocumque potuerunt, aquas, quæ puriores forent, e fontibus propioribus hauserunt, nedum quo politior et accommodatior ipsis sermo videretur minima fœdarent. Legentis est judicium et censura, fructus et oblectamentum.

Attamen cum Simeonis cognomine Metaphrastæ, tum Jacobi a Voragine, tum Ribadeneira, tum Aloysii Lippomani, tum præcipue carminum media ætate confectorum, tum jucundorum illorum opusculorum quæ vulgo *legenda* nuncupantur codices cum sinceris atque anti-

quissimis chartis componere, haud inutilis est nec sine pretio opera. Ut in ædificiis sacris primigenium opus et lapides posterius adhibitos internoscit vir peritus, sic in sanctorum vitis a prioribus monumentis quid novi ætas quæque addiderit rebus et super addiderit, discernendum est. Is igitur litteris christianis sese utilissimum præbere posset, qui noctu incubando diuque beatorum principum vitis, historiæ, ut ita dicam, *comparatæ* studeret, qua nimirum de quoque homine sacro scriptis scripta conferret. Ita res ab ipso fonte, ab eis quæ tradiderunt æquales, a primis documentis repetiturus, per ætatis mediæ carmina, mysteria, codices varios quæque consecutus vestigia, ad severioris ac durioris notæ censores, tanquam Godescardum aut Albertum perveniret. Illi vero videndum esset ne, angustiori et minori præditus ingenio, facta vel dicta quæ a patria, a mente, ab ævo suo abhorrerent, fastidii delicatissimi homo dedignaretur ac respueret. Etenim qui mores ingenuos requirunt, eis non ædificium exornatum et recenti veste quasi indutum, at ipsum pristinum potissimum affert delectationem. Ex his tantum oritur sincera illa voluptas quæ animum imbuit, cum rerum quæ a nobis et ætatibus et regionibus longissime distant, oculis nostris vividiores imagines subjiciuntur.

Quæ omnia cum sæpenumero cogitarem, sancti cujusdem hominis optabam reddere similitudinem; ac deinde juxta sensus singularum ætatum varias eodem ab ἀρχετύπου ductas effigies voluissem exhibere. Hoc erat in votis; at vero qui id propositi expendebam, qui mecum versabam quid debiles ferre recusarent, quid valerent humeri, optatum onus intellexi non sine magna

laboris et ingenii impensa suscipi posse. Illis igitur humiliorem, et tamen nondum viribus æquam, materiam sumpsi. Primum igitur sancti unius viri imaginem pure depingendam suscepi; deinde præcipuas tantum illius effigies in variis sæculis effectas ostendam. Ergo thesim illam, favente imprimis præstantissimo ac benevolentissimo hujusce amplissimi collegii præside, Cypriani rebus et moribus scribendis inauguravi, qua nimirum egregii istius hominis et dicta et facta consecuturus sum, atque ut ipse lucidior appareat, Ecclesiam illam Carthaginiensem qua ætate eam regebat restituendam mihi propono. Quæ præterita ut reficiam, tessellato quasi in opere, hanc in aream a Cypriani potissimum et ab Africanorum ejus ævi auctorum scriptis res referam. Ne autem Pompeianorum civium more agam qui *topiis* magnopere delectati, uni tabellæ accumulabant quævis et commentitia et imaginaria, mihi modo materia antiqua et pristino colore utendum est. Et solummodo calx atque arena quibus structura coagmentabitur artificis erit; imo, ut Vitruvii more loquar, cavum medium in vermiculato habere quam tesseras nuper confectas collocare pluris putamus, licet marginem forte recentioribus ab officinis duximus. Utinam igitur aliquantisper nobis liceat revocare a tenebris memoriam prioris illius Ecclesiæ africanæ cujus tumulus incunabulis propior fuit, quæ tamen paucissimos inter annos quibus donata est fortis, ardens, severa eminuit! Utinam societas illa quæ a teneris lucebat inter atroces sui oppugnatores, utpote animorum liberorum virtutis ac virium exemplum, quam solummodo motus a barbaris ventus exstinxit, Tertullianis, Cyprianis ac tandem Augustinis suis super-

biens, hodie nobis sui genuinam præbeat imaginem, vivos exhibeat vultus, secreta animi sui prodat!

Quibus prædictis, ne a via deterrear laboris magnitudine, exoptatum portum conspiciam oportet, et ut fausta sit navigatio, ab optimis ducibus indulgentiam rogem. Et nunc qui illis ab eximiis rectoribus auxilium speramus, Deo præsule, ut nostri solent dicere, ventis demus vela, ineamus cursum et infame scopulis tentemus mare.

DE
SANCTO CYPRIANO
ET DE PRIMÆVA
CARTHAGINIENSI ECCLESIA.

CAPUT PRIMUM.

De Christianæ Africæ, in secundo tertioque sæculo, finibus, moribus atque institutis.

A Caio, Germanici filio, quem Mauretaniam duas in partes Plinius divisisse declarat[1] ad Diocletianum, quo auctore, inquit Lactantius[2], ut omnia terrore implerentur, provinciæ velut in frusta sectæ sunt, quatuor in Africa provinciæ fuerunt, proconsularis nimirum sive Zeugitana, Numidia, Mauretania Tingitana ac Mauretania Cæsariensis.

Duplex imprimis hominum genus, cum Afrorum in animos Evangelium irrepsit, alebat illa terra, alterum scilicet barbarorum qui vagi, palantes, campos interiore in regione sitos præsertim frequentabant, quique etiamtum Numidarum Maurorumque

1. *Histor. natur.*, V, 1.
2. *De Morte persec.*, VII, 4.

veterum ritus colebant, alterum vero humanitate limatorum qui maritimis in littoribus solebant habitare, quique vel civitate donabantur, vel more vivebant romano.

Nunquam enim Romani, subacto Pœnorum imperio, Numidas aliosque Africæ populares domare omnino potuerunt. Namque ut Hispania Africa quovis in ævo fuit et locorum et virorum ingeniis *bello reparando aptissima*. Huic sane orbis parti contigit ut semper gentibus ac civitatibus politissimis barbari finitimi essent. Atque ipsa Augustini ætate Hipponensium et Carthaginiensium villas maximo cultu adornatas tum Mauri, tum Garamantes, tum cæteri interdum deprædabantur; jamque bastagas, inito pacto, præsentique pecunia protegere, ne prorsus omnia diriperentur, invitis etiam viatoribus, admodum necesse videbatur [1]. Insuper servis littus abundabat, nam Carthago non modo vestes et pecora, sed et mancipia mercabatur [2]. Quamobrem cum coloniis, municipiis, cothonibus fruuntur victores quicumque, vere Afri per fundos, per desertà, per locos a mari remotissimos, antiqui Orientis patriarcharum priscam agunt vitam. Neque vero elapsis sæculis, neque revolutis per varias vices quinque imperiis ingenium Africanum mutari potuit. Quos nempe invenerunt Pœni, quos et Romani et Van-

1. Augustin., *Epist.* XLVI. — Videsis Saint-Marc Girardin doctas de rebus Africanis commentationes, *Revue des Deux-Mondes*, 1841 et 1842.

2. Cardinalis Maii *Palimpsest.*, III, n° 37.

dali et Sarraceni habuere, eosdem accepit Gallia, eosdem habet. Victis et victoribus nunquam in unum corpus confusis, suis quisque potitur moribus.

Romæ quasi faciem in Africa Carthago repræsentabat, utpote quæ senatum haberet et copias militares, ludis celeberrimis decoraretur, magnificas contineret ædes, multos tandem et rhetores et philosophos et jurisperitos possideret. Etenim « illic, inquit Salvianus [1], omnia officiorum publicorum instrumenta, illic artium liberalium scholæ, illic philosophorum officinæ, cuncta denique vel linguarum gymnasia vel morum; illic quoque etiam copiæ militares et regentes militiam potentes, illic honor proconsularis; illic quotidianus judex ac rector, quantum ad nomen quidem proconsul, sed quantum ad potentiam consul; illic quoque omnes rerum dispensatores, et differentes inter se tam gradu quam vocabulo dignitates, omnium, ut ita dicam, platearum et compitorum procuratores, cuncta ferme et loca urbis et membra populi gubernantes. » Unde alterum post Romam orbis terrarum decus Carthaginem vocat Solinus [2]; almamque urbem plurimi eam dicunt. Attamen non hæc tantum Africæ urbs princeps, sed alia quoque oppida theatris, thermis, capitoliis replebantur. Atque Africanæ Inscriptiones tum antiquitus tum recens editæ eosdem quos in Italia et in Africa mores atque usus exstitisse significant, nimirum ma-

1. Salv., *de Prov.*, l. VII.
2. *Polyhist*, c. XXX.

gistratus, sacerdotia, dignitates easdem memorant, balnea, ludos, epulas, viscerationes præbent; cæterum ædes similes occurrunt, porticus scilicet, templa, fornices, capitolia. Imo *æqualibus lineis* [1] quibus summopere ómnes delectantur coævi ædiles, jam superbiebat perelegans civitas.

Verum inter Carthaginis ædes potissimum celebrabantur sacra Memoriæ ac Cœlesti templa; Cœlestis enim idolum summa apud Afros observantia colebatur. Hanc quidem deam Cœlestem, veteris Carthaginis præsidem, Uraniam vocat Herodianus [2]; cujus et ferias Augustinus describit [3]. Illius sane templum amplissimum fuisse permultisque egregiis signis inclytum traditur; ejus et platea columnis et mœnibus decorata patebat ad duo fere passuum millia [4]. Quas vero sacras ædes ætate posteriori Christo dicavit Aurelius, cum, auctore Urso tribuno, plurima templa diruta in sepulturas verterentur [5].

Sed Cypriani tempore, deorum imperii domus, integro fulgentes decore, marmoribus variis eximiisque imaginibus, ære multo atque auro exornabantur; ipsæ et viæ regali luxu splendidæ erant; atque imprimis ea quæ prope a Cœlestis fano inde nominabatur, quamque Vandalici funditus deleverunt,

1. Card. Maii *Palimps.*, III, n° 37.
2. *Histor.*, l. V, c. VI.
3. *De Civitate Dei*, II, 26.
4. Salvianus, *de Gubernat. Dei*, VIII.
5. Auctor *de Promissionibus libri*, II, 38, inter *S. Prosperi Opera*, qui hujusce templi consecrati testis oculatus fuerat.

omnibus et maris et terræ opibus abundabat [1]. E ruinis forsan ea olim eruet qui jam in lumen multa restituit vir doctissimus atque munificentissimus [2].

Rhetorices interea publicæ scholæ potissimum florebant, quarum ab ostiis candidum pendebat velum quod poetarum fabulis sæpius obtegi vera declarabat. Nam apud Afros, uti refert Tertullianus, philosophiæ ac bonarum artium studia maximo gaudebant honore [3]. At ludimagistri, velut vocari solebant, ac cæteri litterarum amantes inter Afros sicut et inter Græcos et inter Romanos magnopere ritibus antiquis erant addicti. Quin imo quilibet ludimagister in schola sua habebat tabulam seu laterculum septem idolarum quibus septem planetæ significari arbitrantur. Qua fortasse figura docebantur quid quaque die acturi essent discipuli [4]. Septima erat otio data; sexta mos erat quæ tota hebdomade vel audiverant vel scripserant, repetere ac quasi congregare, unde Juvenalis hæc jam habebat :

> Nil salit Arcadico juveni, cujus mihi sexta
> Quaque die miserum dirus caput Annibal implet.

1. Victor. Vit., *Hist. persec. Vand.*, p. 5.
2. Conf. Beulé, *Journal des Savants*, 1859-1860.
3. Conf. Apuleii *Florid.* XX. « Quæ major laus aut certior quam Carthagini benedicere ubi tota civitas eruditissimi estis, penes quos omnem disciplinam pueri discunt, juvenes ostentant, senes docent? Carthago provinciæ nostræ magistra venerabilis, Carthago Africæ musa cœlestis, Carthago camœna togatorum. » Vide et *Florid.* IX et *Florid.* XVIII.
4. Tertullian., *de Idol.*, X. « Quis ludimagister sine tabula septem idolarum? » Conf. doctissimi Rigaltii Commentarium.

Aliis autem diebus, studiis consuetis operam navabant. Hâc etiam de tabula qua variarum rerum horæ religiose componebantur, eos quos *ad nationes* [1] Tertullianus scribit libellos conspicere licet : « Estis, inquit, qui etiam in laterculum septem dierum solem recepistis, et ex diebus ipsum prælegistis quo die lavacrum subtrahatis, aut in vesperam differatis, aut otium et prandium curetis. » Præter tabulam illam, quinquatria rhetores colebant, Minervæ sacra, quæ ludimagistrorum festa fuisse Ovidius memorat [2]. Ei profecto Minervæ primam novi discipuli stipem offerebant; ac Floræ sacris scholæ coronabantur [3]. Jam deorum nomina, genealogias, historias, ornamenta tandem honorifica et solemnia explicarent ludimagistri necesse erat [4]. Illis vero asperrime Tertullianus exprobrat veteris cultus amorem, utpote qui vitam ita tolerarent [5]. Sed dulci poetarum commercio lætantes, antiquas Athenarum et Romæ fabulas, humanos Homeri et Virgilii deos eos dilexisse rectius existimaret. Deorum enim nominibus consociabantur et magnorum virorum imagines, et patriæ glòria, et litterarum honor, et cultus parentum, præteriti denique ævi decus omne.

Rhetores quidem illi quibus annumerati sunt multi qui clarissimi postea apud christianos evaserunt et

1. *Ad Nationes*, I, 13.
2. III *Fast.*
3. Tertull., *de Idol.*, X.
4. Tertull., *ibid.*
5. Tertull., *ibid.* 5.

Concilio Carthag. sub Bonifacio subscripsit Restitutus *Viltensis*, anno scilicet DCCV. Hard., t. II, p. 1082.

A BUSSACENIS.

H. Mamma?

Βυζακίνα, Ptol. in Byzacena. — Vide Bochart, Geogr. sacr., p. 492. — Nihil apud Morcellum, nihil apud *Ruinart.* Byza chald. mamma est.

A CIBALIANA.

Præter Donatum *a Cibaliana* qui Cypriani tertio

concilio adfuit, Cresconius *Cibaliensis* anno CCCCXI collationi Carthaginiensi subscripsit. Κιβαλινῆς.

A LUPERCIANA.

Tantum in conc. Cypr. tertio nominatur *Lupercianum* oppidum. — Hard., t. I, p. 171.

A THIBARI.

H. Medeïnah ?

Præbetur in conc. Cypr. de Baptismo et *Cognit.*, 1, 133. — Insuper legitur ad *Thibaritanos* Cypriani epistola. — THIB.. ITANNVM præbet Inscript. Guerin.

Cum vero *Thibaritanos* visere in votis se habuisse dixerit Cyprianus, eorum licet civitatem remotam esse declaret, Baluzius ad ep. 56. Thibarim provinciæ Byzacenæ fuisse arbitratur.

A VICO CÆSARIS.

Clarissimam Juliam Cæsaream ita designari Pamelius putat. Cæsarienses sane et in *Notitia* et in conciliis permultis episcopi nominantur. Ruinart, *Notæ in notitiam Africæ*, *Numid.*, p. 268. Utut sit, Cæsaream, antea Jol vocitatam, Jubæ regiam, a Claudio coloniæ jure donatam, sæpissime antiqui egregieque laudant, Plinius, Ptolemæus, Antonius qui eam Cæsaream coloniam dicit, Pomponius Melas, Procopius, Symmachus, Solinus. *Cherchell* vero esse Cæsaream illam indicant et multæ ruinæ et veteres inscriptiones. Nonnulla et rerum christia-

narum monumenta illic reperta fuerunt, inter quæ crucibus lychni decorati atque agnorum cruci affixorum signa potissimum celebrantur. Cæsarea porta fruebatur insulaque ante portum; tum ædibus, tum amplitudine, tum cothone insignis, totius Mauritaniæ provinciæ metropolis habebatur.

AREAM ET SEPVLCRA CVLTOR VERBI CONTVLIT
ET CELLAM STRVXIT SVIS CVNCTIS SVMPTIBVS
ECCLESIÆ SANCTÆ HANC RELIQVIT MEMORIAM
SALVETE FRATRES PVRO CORDE ET SIMPLICI
EVELPIVS VOS SATOS SANCTO SPIRITV
ECCLESIA FRATRVM HVNC RESTITVIT TITVLVM
M A I SEVERENCIANI C V

Berbrugger, *Revue africaine*, t. I, p. 119. — *L. Renier*, n° 4025, et. n. 3873-4040.

Quam vero coloniam apud nostros inclyti martyres sacræque ædes quas memorat Augustinus illustrarunt.

Quum vero loca meis pro viribus recensuerim quæ societates christianæ celebrarunt, reliquum est ut ad rem ipsam accedamus, atque Ecclesias qua ratione intus constitutæ sint dispiciamus. Cuique autem cœtui, minimo etiam, in villis quandoque atque in fundis, præerat inspector seu episcopus quem in sacris adjuvabant seniores viri dicati vel presbyteri, ministri principes sive diaconi qui potissimum eleemosynis operam navabant, atque inferiores famuli qui fossorum, ostiariorum, anagnostarum acolythorumque partes exsequebantur. E

variis Africæ romanæ provinciis Carthaginem convenire quotannis solebant episcopi quibus Carthaginiensis pontifex loci causa præerat. Jam ante Cyprianum scimus Carthagine de sacris concilia habita fuisse; præterea quaque in provincia senior episcopus inter alios principem locum obtinebat et concioni præsidebat provinciali : ita Lambesæ in Numidia nonaginta patres synodum celebrarunt.

Attamen, Baronius licet de hac re una et viri amplissimi aliter sentiant, Christianos quoscumque communi habitu usos fuisse hac in nascenti Ecclesia compertum habemus. Quibus sane tum consuetudo inter se ac familiaritas, tum simplicitas ac modestia cui præsertim studebant, imprimis vero profanorum adeo acerbum in Christum odium et inutilem et molestum et periculosum alienæ vestis usum præbuisset. Plebeio igitur et humili ornatu induebantur; at in mundis vestibus eos rem divinam fecisse dicit Tertullianus. Quamobrem ille mulieribus purpureas, hyacintheas, ærinas vestes exprobrat, ac nativum velleris colorem laudat, utpote qui a natura parente præbeatur[1].

Quod omnibus perspicuum fore ex ipsius Cypriani vita existimamus. Cum enim « post iter longum nimio sudore madidatus sederet, quidam ex tesserariis, quondam christianus, res suas obtulit, quasi vellet ille vestimentis suis humidis sicciora mu-

1. *De Cultu fœminarum*, l. I, c. VIII.

tare[1]. » — Si quidem ab Ethnicis episcopi distincti fuissent ornatu, miles certe non suum Cypriano præbuisset vestimentum. Nihilominus, Baronius quoddam serici rubri indumentum quo nunc Romani decorantur cardinales, illi tribuit, quod Cyprianus sese *lacerna byrrho exspoliasse*, cum capite plectendus foret, in actis proconsularihus[2] dicitur. Byrrhus vero vestis erat quam multi chlamydem interpretantur; in jucunda sancti Deicolæ *legenda* quam octavo vel nono sæculo adscribendam esse Bollandus existimat, *byrrhum suum* solis radio vir pius traditur suspendisse. Ostendit sane *Du Cange* byrrhum antiquitus rufum seu fulvum significasse habitum. Cuinam igitur vir eruditissimus persuasum esse velit singulari cultu, sævientibus imperatoribus, usos esse Carthaginienses episcopos? At vero in sacris episcoporum sellæ linteis exornari solebant, quippe, cum in prætorio esset Cyprianus, habuit sedile « fortuito linteo tectum, ut et sub ictu passionis episcopatus honore frueretur[3]. » Inde ad quemdam Donatistam episcopum scribens Augustinus, nemini profuturas in summo Christi judicio *cathedras velatas* declarat[4].

Ea nimirum ratione, ut plurimum, vulgari Christiani cibo vescebantur[5], excepto quod parce et fruga-

1. Pont. Diac., c. XVI.
2. *Acta Cypriani proconsularia*, c. V, apud Ruinart.
3. Apud *Pontium diaconum*, c. XVI.
4. Aug., *Epist.* XXIII.
5. Tert., *Ap.* XLII.

liter viverent, ac Judæorum ritu et a suffocatis carnibus et ab animalium sanguine abhorrerent. Nos, inquit Tertullianus, « ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea suffocatis et morticinis abstinemus[1]. » Itaque si quis eos tentaret hostis, illis *botulos* cruore distentos offerebat; quos qui respuebat, sese ipso facto Christi disciplinæ addictum fatebatur[2].

Communis igitur vitæ nequaquam expertes, participes sese præbebant et fori, et macelli, et balneorum, et tabernarum et officinarum; cum cæteris illi et navigabant et rusticabantur et mercabantur, suas denique operas publicis miscebant artibus[3]. Tantum a cæremoniis, a templis et ab eorum superstitiosis sollicitudinibus temperabant[4]. Quamobrem capitibus suis neque coronas neque flores imponere solebant, ut mos erat, quod diis ista dicabantur[5]. Ideoque Gregorius ille Nazianzenus amœne dicebat se flores habere vernis quibuslibet floribus tum dulciores, tum fragrantiores, utpote perceptos pleno ex agro quem colit Christus cuique favet[6]. Attamen, quum esset illis domesticus ethnicorum usus et con-

1. *Ap.* IX.
2. *Ibid.* Conf. *Act. Ap.* xv, 27. Ita Minucius Felix (xxx) dicit Christianos non nosse « edulium pecorum in cibis sanguinem; » *edulia pecora* vocat quibus vesci licet, sicut *edules capreas* scribit Horatius (*Sat.* 11, IV, 43), et *esculenta animalia* Plinius, VIII, 55.
3. Tert., *Ap.* XXVII.
4. *Ap.* XLII.
5. Tert., *de Corona Phil.*
6. *Orat.* II cont. *Jul.*

suetudo, a spectaculis debebant abstinere; et quæ in theatris venditabantur, ex officinis peterent necesse erat[1]. Famæ igitur nitorem aversati, a viro quoque spectatissimo abhorrentes, virili pro parte cœtum et homines vitabant, ut in secreta sese removerent. Ergo, si res perpendatur ut in se est, illis nihil antiquius quam solitariam, occultam, taciturnam vitam ducere, quam in silentio atque in modestia versari[2].

Jam vero quum profanos cœtus, quum epulas, quum spectacula, quum, quantum poterant, hominum frequentiam christiani fugerent, inter se conjunctissimi erant, quippe qui *unum spiritum sanctitatis bibissent*[3]. Quam tamen amicitiam jam imminutam, quam voluntatum consensionem ætate sua paulum remissam Cyprianus his gravissimis verbis conqueritur : « Domos tunc et fundos venumdabant; et thesauros sibi in cœlo reponentes, distribuenda in usus indigentium pretia apostolis offerebant. At nunc de patrimonio nec decimas damus; et cum vendere jubeat Dominus, emimus potius et augemus. Sic in nobis emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit[4]. » Sed tempus actum laudandi causa, æqualium suorum moribus aliquam inferre injuriam videtur, cum ipse bona sua vendiderit ut pecuniam inde quæsitam inter pauperes divideret, cum

1. *Cap.*, l. XLII.
2. Tert., *Ad Scap.*
3. Tertull., *Apol.* XXXIX.
4. Cyprian., *de Unitat. Eccl.*

in litteris sæpissime christianorum múnera fratribus indigentibus mittere se declaret. At quidquid sit, si apud eos non jam, ut Tertulliani ætate, omnia plane indiscreta erant et communia[1], sese tamen invicem singulari charitate profecto complectebantur. Romani enim presbyteri ac diaconi, cum ad Cyprianum scriberent, Carthaginiensium Christianorum « amorem mutuum et charitatem exemplis multis reciprocæ affectionis in se invicem sæpe compertum » summopere prædicabant[2]. Ita, Numidiæ episcopis qui captivos Christianos e barbaris redimerent, sestertia centum millia, collatione facta, dare potuit, et grates agere quod a Carthaginensibus suis opem petiissent, et ita populo quasi agrum tradidissent in quem semen emitteret, messem in cœlo daturum[3]. His quidem donis, hoc studio, hac in captivos benefica voluntate magnificum præbuerunt exemplum quod secuti, a servitute duodecim centum millia Christianorum vindicasse tum a Mercede fratres, tum Trinitarii socii dicuntur. At librum *de opere et eleemosynis* legere satis est ut hujusce Ecclesiæ sensus plane agnoscamus. Necessariam scilicet admodum esse charitatem comprobaturus, dicit auctor neminem Christi gratiam promereri nisi in alios bonum, nisi in pauperes beneficum, asseritque quum preces tum jejunia ei fore inutilia qui rei suæ sese præberet attentiorem.

1. Tertullian., *Apol.* XXXIX.
2. *Inter Cypriani Opera*, apud *Baluzium*, *Epist.* XXX.
3. Cyprian., *Epist.* XL.

tunc animos Africanos, ardentem compellans populum, speciosis ac dilectis usus imaginibus, eleemosynam ostendit ut editum Deo spectaculum, cujus *munerarius* non consulatibus, non quadrigis, non secundis populi admurmurationibus studeat, sed summique et unici spectantis plausus ambiat[1]. Ea prorsus in pauperes beneficentia Ethnicos mirum in modum delectabat permultosque in Ecclesiæ partes trahebat, quamvis vitæ asperitas, durities morum, severitas disciplinæ mentes terrerent. Namque, ut aspere aiebat Tertullianus, in isto solo solvunt Christiani consortium in quo solo exercent cæteri homines[2]. Verumenimvero in regionibus quas perurunt soles assidui, apud populos mollitie affluentes, vel maritalem fidem, vel viduarum *laboriosam castitatem*[3], vel virginalem integritatem servare perarduum habetur.

Nec dubium quin ad hæc accederent prædura et jejunia et pervigilia quæ militari verbo *stationes* vocabantur[4]: in angustis scilicet reipublicæ temporibus, diebus præstitutis ac frequentibus, ductis inter fletus noctibus, Hebræorumque ritu humi fusi, cœlum, ut dicebatur, invidia tundebant. Quod si quis tantis in laboribus deficeret, si *lapsus* partem obtineret inter *pœnitentes*, illi durissima erat expiatio agenda, cujus tamen tempus quidam a martyribus dati libelli con-

1. *De Opera et Eleemosyn.*
2. Tertull., *Ap.* XXXIX.
3. Cyprian., *de Bono patient.*, XX.
4. Tertull., *de Jejunio*, l. XIII.

trahere poterant. A balneis autem et ab epulis ei erat abstinendum; barbamque et capillos ei interdictum alere; mulieribus etiam « nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingere », secundum morem gemmisque et margaritis exornari, inficere comam, sericis vestiri, tum prohibitum[1]. Præterea oportebat « impensius rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere, in cinere et cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberantur[2]. » Sed « ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificiis et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis » vim inferre si sacrorum participes essent lapsi, declarabantur « corpori ejus et sanguini, et plus in Dominum manibus atque ore delinquere quam cum Dominum negaverant[3]. » Cum vero illi Ecclesiæ satisfecissent, cum antiqua ab episcopo recepissent jura, tum « certamen milites repetere poterant atque aciem iterare[4]. »

Christiani quidem cum episcopo ecclesiam ha-

1. Cyprian., *de Lapsis*, potissimum cap. XXX.
2. *De Lapsis*, XXXV.
3. *De Lapsis*, Oxoniensis editionis, c. XVI.
4. *De Lapsis*, XXXVI.

bere, aut domi, si pace fruerentur, aut, si oppugnarentur, inter *areas* et hortos, atque *dominicum* celebrare solebant[1]. Jam collocabantur *corbæ* ad munera excipienda. Donorum vero pars altera pauperibus erat eroganda; hinc ad Eucratium cum scribit Cyprianus, histrionem quem a theatris deterrere exoptat, adscribendum esse dicit inter eos qui alimentis ecclesiæ sustentantur, dummodo tenui mensa contentus sit[2]; altera pars ministris ac viduis ad vitæ necessaria, mensibus singulis, sub *mensurarum* nomine distribuebatur[3]. Imo *sportulæ* erant quarum participes clerici, fortasse egentes, *sportulantes* vocabantur[4]. Modicam vero stipem quisque « suo dabat judicio arbitrioque, nam nemo compellitur, sed sponte confert[5]. » E quibus, præter pauperibus alendis ac clericis viduisque sustentandis tributa, « egenis humandis, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis (permulti enim *in mari sævo et importuoso*, naufragium patiebantur), et si qui in metallis et si qui in insulis vel in custodiis[6], » maximam pecuniam impertiebantur.

1. *De Oratione dominic.*, et *de Oper.* et *eleemos.*
2. Cyprian., *Epist.* LXI.
3. *Epist.*, XXVIII.
4. *Epist.* XXXIV, c. v, et *Epist.* LXVII, c. I. Medio ævo verba erant *sportula*, *sporta*, *sportule*, *esportule*, quibus honoraria dona chartæ significant. Ex sportis vero seu canistellis nomen deducitur, ex eo quod in eis munera colligi solebant.
5. Tertull., *Apol.* XXXIX.
6. Cyprian., *Epist.* V.

Quoad fieri poterat, diebus singulis cœtus ille habebatur, plerumque vespere, interdum mane. *Præfatione* acta, divinæ legebantur litteræ ; deinde martyrum memoriam renovabant, et sermonem ad populum habebat præses[1]. Sequebantur censuræ ; tum sacra fiebant ; ac fideles, panis consecrati in manibus recepto frustulo, ejus partem sumebant in templo, partem domi deferebant ut qui a mysterio impediti essent, eulogiorum tamen participes forent[2]. Quibus et synaxibus interdum jungebatur cœna communis quam agapen vocabant, utpote in *fraternæ amicitiæ* signum habitam. Post cœnam, antiquo more, abluebantur manus, et sacra conficiebantur. Quandoque, matutinum in tempus dilatis mysteriis, lotis manibus accensisque luminibus « quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio provocabatur in medium Deo canere[3]. » Tum psalmi sonabantur vel pia concio habebatur[4]. Quibus tandem actis gratiisque Deo persolutis, convivæ modestiam ac pudicitiam exhibentes discedebant[5]. In sacris Christiani Afri, Constantini junioris saltem ætate, calice producto utebantur, ut manifestum est nummo a Dupuch edito cujus hæc est inscriptio :

SECULI FELICITAS XRISTOS

Cum vero sæviret tempestas, in carceribus ad con-

1. Justin., *Apol.* 1, LXVII. — Tertull., *Apol.* XXXIX.
2. Cyprian., *Testim.*, III, *de Lapsis, Epistol.* LIV et LVI.
3. Tertull., *Apol.* XXXIX, etc.
4. Cypr., *ad Don.*, sub fine.
5. Tertull., *Apol.* XXXIX.

fessorum solatium, si possent, rem faciebant divinam.

Quod si quis totam congregationem qui regeret eligendus esset, a provinciæ episcopis in eumdem locum congregatis, cleri populique latis suffragiis, nominabatur. Electionis istius plane modum in litteris ad Antonianum Cyprianus exhibet[1]. Episcopus vero cum clero ac populo solebat negotia communicare[2]; si quis ex eis a vera fide dissidere perspiceretur, cæteri ejus oves debebant colligere[3]. Quotannis tandem, Paschalia post festa quilibet episcopi Carthaginem petebant ut concilia inirent. Præterea, ut jam diximus, ejusdem provinciæ episcopi synodos habebant in quibus, ut hodie solent præfecti nostri, inter se de rebus privatis conferebant. Itaque eos qui Christianæ Africæ rebus student, potissimum legendis Carthaginiensibus conciliis intendant animum necesse est, e quibus scilicet et doctrinam et disciplinam et mores et usus et facta amplissime accipient.

1. Cypr., *Epist.* LII.
2. Id., *Epist.* XXXII.
3. Id., *ad Steph. Pap.*

CAPUT SECUNDUM.

Cypriani Ecclesiæque Carthaginiensis historia.

Thascium Cyprianum Africanum fuisse constat; quo vero in oppido natus sit, incertum. Illum tamen Carthagine oriundum multi arbitrantur, quum de illo hæc habeat Prudentius:

> Est proprius patriæ martyr, sed et amore et ore noster.
> (Περὶ Στεφάνων, v. 13.)

At Cyprianus ipse eam urbem pro patria sibi vindicare non videtur, quippe qui dixerit: « Ubi enim mihi aut melius possit esse aut lætius quam illic ubi me Deus credere voluit et crescere[1]? » Imo quidam senatoria domo Thascium ortum esse ex his Augustini verbis existimarunt: « Mutati sunt piscatores, mutati sunt postea etiam plurimi senatores; mutatus est Cyprianus[2]. » Quum vero Pontius ejus neque de familia neque de juvenibus annis verba facere voluerit quia, ait, hominis Dei facta non debent aliunde

1. *Epist.* XXXVI.
2. *Serm.* 311, VIII, ed. Benedict.

numerari nisi ex eo quod Deo natus est, hæc in ambiguo relinquantur necesse est[1].

Ut ut sit, Cypriani nobis imaginem verbis optimam præbuit quam intueri juvat, ejus diaconus Pontius: « Gravis vultus et lætus; nec severitas tristis, nec comitas nimia; sed admixta utrimque temperies, ut esset ambigere, vereri plus an diligi mereretur, nisi quod et vereri et diligi merebatur. Sed nec cultus fuit dispar a vultu, temperatus et *ipse de medio*. Non illum superbia sæcularis inflaverat, nec tamen prorsus affectata penuria sordidarat; quia et hoc vestitus genus a jactantia minus non est quam ostentata taliter ambitiosa frugalitas... Tantum sanctitatis et gratiæ ex ore ejus lucebat, ut confunderet intuentium mentes[2]. »

Hæc vero indoles temperata, hæc mens sanissima, hi mores *medii* in Cypriani et vita et scriptis clarissime atque amplissime indicantur. Hostes enim suos, si decet, fugit, nec mortem honestam nescit; sese optima fide sacris legibus obligat, at rerum dilucidandarum causa rationis summæ usum exhibet. Nusquam omnino immoderatum animum patefacit, semper autem nimios homines vituperat. In modo, in rectis finibus consistere solet sapientissimus. Inde

1. Attamen Gervasius Cyprianum fuisse senatorem asserit. *Cypriani Vit.*, 1717, p. 5. Ita et Baronius qui falso Gregorii Nazianz. auctoritatem usurpat, cum, ut infra probabimus, Gregorius duos Cyprianos, Carthaginiensem nimirum et Antiochenum in unum misceat.

2. Cap. VI, apud Ruinart.

nescio quo facto cum Fenelonio cui tamen minus placebat, interdum comparatur. Si viros a se multum distantes assimilare libeat, quippe cum cœlum, res, ætas alienissima sint, Bossuetii tum a morum simplicitate, tum ab æqua sentiendi consuetudine illum propiorem existimo. Idem et ingenium altum ac sublime oritur ex eadem summa in judicando prudentia atque optima mente. Sed ab utroque differt Fenelonius qui ita artificio delectatur, qui homines ita titillat et aures permulcet, qui sese in quibusdam ita intemperatum habet, qui tandem venustate ac lepore ita semper affluit ut magis ingeniosus scriptor et consummatus artifex quam imperator gravis, sapiens, errorisque expers esse videatur.

Attamen Cyprianum juvenem artem oratoriam docuisse compertum est [1], et aliquandiu in dicendo affectasse ambitiosa ornamenta quæ ad Christum conversus celerrime recidit. Quamobrem in litteris quibus Donato viro sibi amicissimo recens Christianus sensus suos aperit, quædam reprehendit Augustinus, utpote quæ rhetoricam olerent. Quum vero ejus libros evolvo, veteris in voluptatibus mundi Cyprianum versatum fuisse arbitror, qui scilicet de rebus loquitur vividissimis illis cum sensibus quos hominum usus tantum dare solet. Si ergo de theatris verba facit, gaudii in spectaculis fontem dicit oriri ex illis secretis atque dulcibus affectibus quibus concitatur homo

1. Lact., *Divin. inst.*, l. V, 1, et Hieron., *de Script. ecclesiast.*

Tunc animos Africanos, ardentem compellans populum, speciosis ac dilectis usus imaginibus, eleemosynam ostendit ut editum Deo spectaculum, cujus *munerarius* non consulatibus, non quadrigis, non secundis populi admurmurationibus studeat, sed summique et unici spectantis plausus ambiat[1]. Ea prorsus in pauperes beneficentia Ethnicos mirum in modum delectabat permultosque in Ecclesiæ partes trahebat, quamvis vitæ asperitas, durities morum, severitas disciplinæ mentes terrerent. Namque, ut aspere aiebat Tertullianus, in isto solo solvunt Christiani consortium in quo solo exercent cæteri homines[2]. Verumenimvero in regionibus quas perurunt soles assidui, apud populos mollitie affluentes, vel maritalem fidem, vel viduarum *laboriosam castitatem*[3], vel virginalem integritatem servare perarduum habetur.

Nec dubium quin ad hæc accederent prædura et jejunia et pervigilia quæ militari verbo *stationes* vocabantur[4]: in angustis scilicet reipublicæ temporibus, diebus præstitutis ac frequentibus, ductis inter fletus noctibus, Hebræorumque ritu humi fusi, cœlum, ut dicebatur, invidia tundebant. Quod si quis tantis in laboribus deficeret, si *lapsus* partem obtineret inter *pœnitentes*, illi durissima erat expiatio agenda, cujus tamen tempus quidam a martyribus dati libelli con-

1. *De Opera et Eleemosyn.*
2. Tertull., *Ap.* XXXIX.
3. Cyprian., *de Bono patient.*, XX.
4. Tertull., *de Jejunio*, l. XIII.

trahere poterant. A balneis autem et ab epulis ei erat abstinendum; barbamque et capillos ei interdictum alere; mulieribus etiam « nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingere », secundum morem gemmisque et margaritis exornari, inficere comam, sericis vestiri, tum prohibitum[1]. Præterea oportebat « impensius rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere, in cinere et cilicio et sordibus volutari, post indumentum Christi perditum nullum jam velle vestitum, post diaboli cibum malle jejunium, justis operibus incumbere, quibus peccata purgantur, eleemosynis frequenter insistere, quibus a morte animæ liberantur[2]. » Sed « ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificiis et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis » vim inferre si sacrorum participes essent lapsi, declarabantur « corpori ejus et sanguini, et plus in Dominum manibus atque ore delinquere quam cum Dominum negaverant[3]. » Cum vero illi Ecclesiæ satisfecissent, cum antiqua ab episcopo recepissent jura, tum « certamen milites repetere poterant atque aciem iterare[4]. »

Christiani quidem cum episcopo ecclesiam ha-

1. Cyprian., *de Lapsis*, potissimum cap. XXX.
2. *De Lapsis*, XXXV.
3. *De Lapsis*, Oxoniensis editionis, c. XVI.
4. *De Lapsis*, XXXVI.

bere, aut domi, si pace fruerentur, aut, si oppugnarentur, inter *areas* et hortos, atque *dominicum* celebrare solebant[1]. Jam collocabantur *corbæ* ad munera excipienda. Donorum vero pars altera pauperibus erat eroganda; hinc ad Eucratium cum scribit Cyprianus, histrionem quem a theatris deterrere exoptat, adscribendum esse dicit inter eos qui alimentis ecclesiæ sustentantur, dummodo tenui mensa contentus sit[2]; altera pars ministris ac viduis ad vitæ necessaria, mensibus singulis, sub *mensurarum* nomine distribuebatur[3]. Imo *sportulæ* erant quarum participes clerici, fortasse egentes, *sportulantes* vocabantur[4]. Modicam vero stipem quisque « suo dabat judicio arbitrioque, nam nemo compellitur, sed sponte confert[5]. » E quibus, præter pauperibus alendis ac clericis viduisque sustentandis tributa, « egenis humandis, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis (permulti enim *in mari sævo et importuoso*, naufragium patiebantur), et si qui in metallis et si qui in insulis vel in custodiis[6], » maximam pecuniam impertiebantur.

1. *De Oratione dominic.*, et *de Oper.* et *eleemos.*
2. Cyprian., *Epist.* LXI.
3. *Epist.*, XXVIII.
4. *Epist.* XXXIV, c. v, et *Epist.* LXVII, c. I. Medio ævo verba erant *sportula*, *sporta*, *sportule*, *esportule*, quibus honoraria dona chartæ significant. Ex sportis vero seu canistellis nomen deducitur, ex eo quod in eis munera colligi solebant.
5. Tertull., *Apol.* XXXIX.
6. Cyprian., *Epist.* V.

Quoad fieri poterat, diebus singulis cœtus ille habebatur, plerumque vespere, interdum mane. *Præfatione* acta, divinæ legebantur litteræ; deinde martyrum memoriam renovabant, et sermonem ad populum habebat præses[1]. Sequebantur censuræ; tum sacra fiebant; ac fideles, panis consecrati in manibus recepto frustulo, ejus partem sumebant in templo, partem domi deferebant ut qui a mysterio impediti essent, eulogiorum tamen participes forent[2]. Quibus et synaxibus interdum jungebatur cœna communis quam agapen vocabant, utpote in *fraternæ amicitiæ* signum habitam. Post cœnam, antiquo more, abluebantur manus, et sacra conficiebantur. Quandoque, matutinum in tempus dilatis mysteriis, lotis manibus accensisque luminibus « quisque de scripturis sanctis vel de proprio ingenio provocabatur in medium Deo canere[3]. » Tum psalmi sonabantur vel pia concio habebatur[4]. Quibus tandem actis gratiisque Deo persolutis, convivæ modestiam ac pudicitiam exhibentes discedebant[5]. In sacris Christiani Afri, Constantini junioris saltem ætate, calice producto utebantur, ut manifestum est nummo a Dupuch edito cujus hæc est inscriptio:

SECULI FELICITAS XRISTOS

Cum vero sæviret tempestas, in carceribus ad con-

1. Justin., *Apol.* 1, LXVII. — Tertull., *Apol.* XXXIX.
2. Cyprian., *Testim.*, III, *de Lapsis*, *Epistol.* LIV et LVI.
3. Tertull., *Apol.* XXXIX, etc.
4. Cypr., *ad Don.*, sub fine.
5. Tertull., *Apol.* XXXIX.

fessorum solatium, si possent, rem faciebant divinam.

Quod si quis totam congregationem qui regeret eligendus esset, a provinciæ episcopis in eumdem locum congregatis, cleri populique latis suffragiis, nominabatur. Electionis istius plane modum in litteris ad Antonianum Cyprianus exhibet[1]. Episcopus vero cum clero ac populo solebat negotia communicare[2]; si quis ex eis a vera fide dissidere perspiceretur, cæteri ejus oves debebant colligere[3]. Quotannis tandem, Paschalia post festa quilibet episcopi Carthaginem petebant ut concilia inirent. Præterea, ut jam diximus, ejusdem provinciæ episcopi synodos habebant in quibus, ut hodie solent præfecti nostri, inter se de rebus privatis conferebant. Itaque eos qui Christianæ Africæ rebus student, potissimum legendis Carthaginiensibus conciliis intendant animum necesse est, e quibus scilicet et doctrinam et disciplinam et mores et usus et facta amplissime accipient.

1. Cypr., *Epist.* LII.
2. Id., *Epist.* XXXII.
3. Id., *ad Steph. Pap.*

CAPUT SECUNDUM.

Cypriani Ecclesiæque Carthaginiensis historia.

Thascium Cyprianum Africanum fuisse constat; quo vero in oppido natus sit, incertum. Illum tamen Carthagine oriundum multi arbitrantur, quum de illo hæc habeat Prudentius:

Est proprius patriæ martyr, sed et amore et ore noster.
(Περὶ Στεφάνων, v. 13.)

At Cyprianus ipse eam urbem pro patria sibi vindicare non videtur, quippe qui dixerit: « Ubi enim mihi aut melius possit esse aut lætius quam illic ubi me Deus credere voluit et crescere[1]? » Imo quidam senatoria domo Thascium ortum esse ex his Augustini verbis existimarunt: « Mutati sunt piscatores, mutati sunt postea etiam plurimi senatores; mutatus est Cyprianus[2]. » Quum vero Pontius ejus neque de familia neque de juvenibus annis verba facere voluerit quia, ait, hominis Dei facta non debent aliunde

1. *Epist.* XXXVI.
2. *Serm.* 311, VIII, ed. Benedict.

numerari nisi ex eo quod Deo natus est, hæc in ambiguo relinquantur necesse est[1].

Ut ut sit, Cypriani nobis imaginem verbis optimam præbuit quam intueri juvat, ejus diaconus Pontius: « Gravis vultus et lætus; nec severitas tristis, nec comitas nimia; sed admixta utrimque temperies, ut esset ambigere, vereri plus an diligi mereretur, nisi quod et vereri et diligi merebatur. Sed nec cultus fuit dispar a vultu, temperatus et *ipse de medio*. Non illum superbia sæcularis inflaverat, nec tamen prorsus affectata penuria sordidarat; quia et hoc vestitus genus a jactantia minus non est quam ostentata taliter ambitiosa frugalitas... Tantum sanctitatis et gratiæ ex ore ejus lucebat, ut confunderet intuentium mentes[2]. »

Hæc vero indoles temperata, hæc mens sanissima, hi mores *medii* in Cypriani et vita et scriptis clarissime atque amplissime indicantur. Hostes enim suos, si decet, fugit, nec mortem honestam nescit; sese optima fide sacris legibus obligat, at rerum dilucidandarum causa rationis summæ usum exhibet. Nusquam omnino immoderatum animum patefacit, semper autem nimios homines vituperat. In modo, in rectis finibus consistere solet sapientissimus. Inde

1. Attamen Gervasius Cyprianum fuisse senatorem asserit. *Cypriani Vit.*, 1717, p. 5. Ita et Baronius qui falso Gregorii Nazianz. auctoritatem usurpat, cum, ut infra probabimus, Gregorius duos Cyprianos, Carthaginiensem nimirum et Antiochenum in unum misceat.

2. Cap. VI, apud Ruinart.

nescio quo facto cum Fenelonio cui tamen minus placebat, interdum comparatur. Si viros a se multum distantes assimilare libeat, quippe cum cœlum, res, ætas alienissima sint, Bossuetii tum a morum simplicitate, tum ab æqua sentiendi consuetudine illum propiorem existimo. Idem et ingenium altum ac sublime oritur ex eadem summa in judicando prudentia atque optima mente. Sed ab utroque differt Fenelonius qui ita artificio delectatur, qui homines ita titillat et aures permulcet, qui sese in quibusdam ita intemperatum habet, qui tandem venustate ac lepore ita semper affluit ut magis ingeniosus scriptor et consummatus artifex quam imperator gravis, sapiens, errorisque expers esse videatur.

Attamen Cyprianum juvenem artem oratoriam docuisse compertum est [1], et aliquandiu in dicendo affectasse ambitiosa ornamenta quæ ad Christum conversus celerrime recidit. Quamobrem in litteris quibus Donato viro sibi amicissimo recens Christianus sensus suos aperit, quædam reprehendit Augustinus, utpote quæ rhetoricam olerent. Quum vero ejus libros evolvo, veteris in voluptatibus mundi Cyprianum versatum fuisse arbitror, qui scilicet de rebus loquitur vividissimis illis cum sensibus quos hominum usus tantum dare solet. Si ergo de theatris verba facit, gaudii in spectaculis fontem dicit oriri ex illis secretis atque dulcibus affectibus quibus concitatur homo

1. Lact., *Divin. inst.*, l. V, 1, et Hieron., *de Script. ecclesiast.*

cum ea ad se pertinentia conspicit. « Tum delectat in mimis turpitudinum magisterio vel quid domi gesserit recognoscere vel quid gerere possit audire[1]. » Quæ sane atque hujusce modi bene multa virum olim profanarum deliciarum non prorsus imperitum spirare videntur. Imo fatetur ipse, ait Augustinus[2], cujus fuerit vitæ aliquando, quam nefariæ, quam improbandæ ac detestandæ. Etenim, ac fortasse ad hunc sermonem alludebat Augustinus, ad Donatum suum scribebat : « Ego cum in tenebris atque in nocte cæca jacerem, cumque in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorsus ac durum pro illis tum moribus opinabar quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur... Quî possibilis, aiebam, est tanta conversio ut repente ac perniciter exuatur quod vel genuinum situ materiæ naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit?... Quando parcimoniam discit qui epularibus cœnis et largis dapibus assuevit? Et qui pretiosa veste conspicuus in auro atque in purpura fulsit, ad plebeium se ac simplicem cultum quando deponit? Tenacibus semper illecebris necesse est, ut solebat, vinolentia invitet, inflet superbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas stimulet, ambitio delectet, libido præcipitet[3]. »

1. *Ad Donat. epist.* I, VIII.
2. Aug., *Sermo* 311.
3. Cypr., *Ad Don. epist.* I, III.

Quæ sane sentire incipiebat Cyprianus, cum jam Christi discipulis et aurem et animum adhiberet.

Enimvero Cæcilius presbyter quem esse Cæcilium illum in Minutii Felicis dialogo actorem multi arbitrantur, eum sibi adjungebat et in partes suas trahebat. At rhetor ille « stipatus clientium cuneis, frequentiæ comitatu officiosi agminis honestatus [1], » ut mos erat, « tenacibus illecebris » voluptatum alligatus, allectus libertate, poetarum et fabulis delectatus, in incerto habebat quid consilii caperet. Atque ut alter Africæ clarissimus rhetor quem etiam mundi deliciæ irretierant, Cyprianus indesinenter fluctuabat et acerbissimis doloribus cruciabatur. A veteri cultu ad Christianam disciplinam virorum et acri ingenio et litteris antiquis præstantium transitionem illam animadvertere non possumus quin magnopere commoveamur. Notissimæ vero sunt chartæ illæ quasi lacrymis madentes quibus animi sui historiam, ut ita dicam, aperit, quibus et desiderii acerbitatem et cupiditatis ardorem et ad futura impetus et reditus ad præterita memoria tristi simul ac dulci ad vivum effingit. Ita secum Cyprianus conversionis tum amaritudinem tum dulcedinem volvebat. Viri igitur qui opulentissimorum more Romanorum magnifice induebantur, qui ad honores ascendebant amplissimos, qui in quibuslibet voluptatibus volutabantur, Christianorum tenuem mensam, plebeiam

1. Cypr., *Epist.* I, III.

consuetudinem, simplicem atque a scena remotam vitam incredibili affecti ægritudine contemplabantur. Itaque æqualium suorum jucundis a moribus sese erepturus, ut durissimam conditionem persequeretur, altius animis iste mœrebat æstuans. « Ut ipse, inquit, quam plurimis vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, quibus exui me posse non crederem, sic vitiis adhærentibus obsecundans eram, et desperatione meliorum, malis meis veluti jam propriis ac vernaculis offavebam.[1] » Summam igitur cum videret illam Christianos inter atque Ethnicos animi dissimilitudinem, quî, admiratione perculsus aiebat, possibilis est tanta conversio? Attamen e suorum moribus semetipsum subduxit, et Cæcilii sui sermonibus docilis, Evangelii disciplinam suscepit Christoque magistro usus est. Hunc vero Cæcilium quo auctore Ecclesiæ sub imperio sese subjecerat ita coluit, ut amoris singularis pignora illi dederit, qui Cæcilii cognomine sese auxit. Sacerdos vero Cæcilius moriturus ut pietatis hæredi atque dilectionis filio conjugem suam liberosque commendavit. At vero, ut aqua statim ablutus est, fluctuantis animi concidit tumultus. Quos enim post aquam sensus habuerit, Donato suo aperit, hominemque ita licet intus et in cute conspicere : « Postquam, ait, undæ genitalis auxilio superioris ævi labe detersa, in expiatum pectus serenum ac purum desuper se lumen infudit,

1. Cypr., *Epist.* I, IV.

postquam, cœlitus spiritu hausto, in novum me hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa, facultatem dare quod prius difficile videbatur, geri posse quod impossibile putabatur[1]. »

Jam vero, quum primum Christi signa Thascius fuerit consecutus, priscorum Christianorum more, bona sua vendidit sub hasta, ut inter pauperes eorum pretium divideret, totumque religiosis rebus sese daret. Quæ inter bona potissimum laudabantur ad Carthaginis portam horti amœnissimi. Fortasse ad illos alludit cum in Epistolis depingit, Socratis ac Tullii ritu, dulcem ac secretum locum quo juvat de rebus divinis agere. Ergo, « indulgente vindemia » et « fatiscentis anni » pactis induciis, ne colloquium profanus perturbet interventor, ne strepitu peregrinentur aures, fabulaturi secessum petunt jucundum cui autumnus novam suavitatem addit. « Dum erratici palmitum lapsus nexibus pendulis per arundines bajulas repunt, viteam porticum frondea tecta fecerunt. Bene hic studia in aures damus; et dum in arbores et in vites oblectante prospectu oculos amœnamus, animum simul et auditus instruit et pascit obtutus, quamquam tibi sola nunc gratia, sola cura sermonis est[2]. »

Ita fere Tullius[3] erat de vite locutus quam mul-

1. Cypr., *Epist.* I, IV.
2. *Epist.* I, I.
3. *De Senectute*, XV.

tiplici atque erratico lapsu serpentem ait et natura caducam arte dirigi agricolarum; ita præsertim naturæ consideratione atque contemplatione, quasi mentis pabulo, recreabatur. Thascii igitur eo fuit semper antiquorum simile ingenium ut maris ac terræ imaginibus summopere delectaretur. Augustini vero more, cum hujusce orbis res conspiceret, cum cœlum solibus assiduis perustum, cum amœna vireta, cum Oceani immensos tractus intueretur, altius mente defixus erat atque alebatur divinis.

Litteræ illæ ad Donatum et animi quadam effusione, et juvenili quasi dictione, et animo a musis non averso paulo post Cyprianum mutatum scriptæ fuisse videntur. In illis, conversione narrata, amicum ad hujusce terræ rerum contemptum et ad assiduam orationem adhortatur. Attamen, Augustinus, qui has litteras refert, Cyprianum graviter vituperat eo quod, inquit, doctrinam spumeo verborum ambitu ornaverit[1]. Cum vero sententiarum præstantia a dictorum arte non abhorreat, si censura illa non severior ac durior haberetur, melioris notæ ecclesiastici scriptores reprehensioni obnoxios sese præberent. At jansenistas profecto summopere delectabat doctoris sui illud judicium, quippe qui naturæ corruptioni pessimæ dicendi urbanitatem et orationis tractum lenem tribuere solebant. Sed rectior videtur Lactantii sententia qui litteras bonas rebus christianis

1. Aug., *de Doctr. Christ.*, IV, 14, et *Serm.* 312.

non nocere, prodesse autem quam plurimum declarat[1]. Quare Cypriani priscos inter editores unus ita præfatus est : « Æquo satis animo ferre nequaquam possum recentiorum quorumdam *novam hæresim* qui nullum orationis florem sequentes, putant quod expolito limatoque tractatur eloquio, rei sacræ admodum officere. Nam si eloquentiam rem mediam esse agnoscunt, qua et recte uti et male possumus, quis mentis compos dicere audet non debere dogmatis christiani professores in defendenda veritate ea uti qua in extollenda falsitate omnes abusi sunt gentiles[2] ? »

Venditis igitur et hortis et cæteris, sacris auctoribus evolvendis potiorem operam navavit, inter quos sæpius et Minutium Felicem et Tertullianum versare assueverat. Narrat Hieronymus se conspexisse « quemdam Paulum, Concordiæ, quod Italiæ oppidum est, senem qui se beati Cypriani jam grandis ætatis notarium, cum ipse admodum esset adolescens, Romæ vidisse diceret, referre sibi solitum nunquam Cyprianum absque Tertulliani lectione unam diem præteriisse ac sibi crebro dicere : *Da mihi magistrum*, Tertullianum videlicet significans[3]. »

Quem nimirum et Minutii Felicis et Tertulliani usum clarissime atque amplissime indicat liber *de Vanitate Idolorum* quem referre oportet ad tempus il-

1. Lactant., *Divin. Institut.*, V, 1.
2. Venet., edit. 1483. Videsis Baluzium ad hanc epist. primam.
3. *Catal. vir illust.*, 53, et *Ep. ad Pammach.*, 41.

lud quo recens conversus in scriptores Christianos studium intendebat. Etenim et deorum romanorum inanitatem et Dei unitatem comprobaturus, tum res tum verba ex Minutii Felicis dialogo et Tertulliani apologeticis libris accepit. Ætatem ad hanc pertinere videntur tum verborum sensuumque splendor, tum dicta minus accurata (ita, ut exemplum afferam, ait *regna sorte variari* et *Christum ad superos regressum esse*). Easdem ob rationes hujusce ævi est *ad Demetrianum epistola* qua Africæ proconsuli qui mala publica Christianis imputabat, declarat Ethnicos jure potiori causam et caput cladium habendos esse, utpote qui injustissime agebant. Quibus in scriptis auctor et a Tertulliano et a Minutio Felice quædam et quod ad sensum et quod ad voces attinet, desumpsisse plane compertum est. Jam Minutio ipse Tertullianus in apologetico usus fuerat [1], sed locum hic afferre in quo una et M. Felicem et Tertullianum qui jam priori studuerat, Cyprianus imitatus ac consecutus est, rei nostræ fore arbitrati sumus; Lactantius ex *Octavio* plura haurire etiam haud dubitavit; Cyprianusque ipse in epistola *ad Donatum* jam Minutii vestigiis institerat [2].

1. De *Octavii* ætate et stylo videsis *Le Nourry* viri benedictini dissertationem.

2. Hunc tamen locum indicat, vir sane doctus, ut Cyprianum inter Christianos, qui philosophiæ campum exaraverit primum fuisse comprobaret. *Fabre*, p. 37.

MINUTIUS FELIX.

Rex unus apibus, dux unus gregibus, in armentis rector unus; tu in cœlo summam potestatem dividi credas?...

Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensibus major est, infinitus, immensus et soli sibi, tantus quantus est notus; nobis vero ad intellectum pectus angustum est; et ideo sic eum digne æstimamus dum inæstimabilem dicimus. Eloquar quem admodum sentio : magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit; qui non vult minuere, non novit. Nec nomen Deo quæras, Deus nomen est.

Illic vocabulis opus est, cum per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est : Deo qui solus est, Dei vocabulum totum est. Quem si patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris; si dominum, intelliges ubique mortalem. Aufer addimenta nominum, et perspicies ejus claritatem.

Quid? quod omnium de isto habes consensum : audio vulgus, quum ad cœlum manus tendunt, nihil aliud quam DEUM dicunt; et DEUS MAGNUS EST; et DEUS VERUS EST;

CYPRIANUS.

Rex unus est apibus, et dux unus in gregibus, et in armentis rector unus; multo magis mundi unus est rector...

Hic nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensu major est; et ideo sic eum digne æstimamus dum inæstimabilem dicimus. Quod vero templum habere possit Deus, cujus templum totus est mundus? et cum homo latius maneat, intra unam ædiculam vim tantæ majestatis includam? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen Deo quæras : Deus nomen est illi.

Illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est : Deo qui solus est, Dei vocabulum totum est. Ergo unus est, et ubique totus diffusus est.

Nam et vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens et anima sui auctoris et principis admonetur. Dici frequenter audimus : O DEUS, et DEUS VIDET, et DEO COMMENDO, et DEUS TIBI REDDAT, et QUOD

TERTULLIANUS.

Quod colimus, Deus unus est... Invisibilis est etsi videatur; incomprehensibilis, etsi per gratiam repræsentetur; inæstimabilis, etsi humanibus sensibus æstimetur; ideo verus et tantus est.

Cæterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æstimari potest, minus est et oculis quibus occupatur, et manibus quibus contaminatur, et sensibus quibus invenitur. Quod vero immensum est, soli sibi notum est. Hoc est quod Deum æstimari facit, dum æstimari non capit. Ita eum vis magnitudinis et notum hominibus objicit et ignotum.

Et *hæc est summa delicti nolentium recognoscere, quem ignorare non possunt.* Vultis ex operibus ipsius tot ac talibus quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur, vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus?

Quæ licet carcere corporis pressa, licet institutionibus pravis circumscripta, licet libidinibus ac concupiscentiis evigorata, licet falsis diis exancillata, cum tamen resipiscit, ut ex crapula, ut ex somno, ut ex aliqua valetudine, et sanitatem suam patitur, DEUM nominet hoc solo nomine, quia proprio Dei veri : DEUS MAGNUS, DEUS BONUS et QUOD DEUS DEDERIT, omnium vox est. Ju-

MINUTIUS FELIX.	CYPRIANUS.	TERTULLIANUS.
et, SI DEUS DEDERIT. Vulgi iste naturalis sermo est, an Christiani confitentis oratio? *Octavius*, c. XVIII.	VULT DEUS [1], et si DEUS DEDERIT. Atque hæc est summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis. *De Idolorum vanit.*, VIII et IX.	dicem quoque contestatur illum, DEUS VIDET, et DEO COMMENDO, et DEUS MIHI REDDET. O testimonium animæ naturaliter Christianæ! Denique pronuntians hæc, non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit; novit enim sedem Dei vivi; ab illo, et inde descendit. *Apolog.*, c. XVII [2].

Jam vero, cum et virtute et scientia et auctoritate inter suos emineret Cyprianus, presbyterorum in numerum recens aggregatus, Carthaginiensem ad episcopatum *judicio Dei et plebis* favore, inquit Pontius, neophytus licet, electus fuit, anno circa CCXLVIII, ut opinantur[3]. Tum Ecclesia Africana caput a tempestate erigens pace videbatur fruitura. Pacata igitur provincia, Donati mortui in locum Christiani illum subrogarunt; at maxima præditus modestia, et « antiquioribus cedens », a tanto munere abhorruit. Sed « obsederat fores domûs copiosa fraternitas »; ac tandem cepit invitus dignitatem quam factis, scrip-

1. Hujusce verbi *Quod vult Deus* usum Afris carum fuisse comprobant multorum martyrum *Quod vult Deus* in pervetustis martyrologiis nomina et quatuordecem episcopi sic vocati. Apud Shaw Saxo inscribitur et quidam *Quod vult Deus*, t. I, p. 232.

2. Cfr. De *Testimonio animæ*, lib. II, et de *Resurrect. carn.*, cap. 3.

3. Ex litteris LV anno CCLII scriptis quibus dicit sese « plebi suæ in episcopatu quadriennio jam probatum esse. »

tis, sanguine erat illustraturus. Eo majore autem gaudio fuerunt fideles repleti, quo magis anxio et sollicito animo rem exspectabant.

Nihilominus ei « quidam restiterunt[1]; » Felicissimus nimirum quidam plures ab illo abjungere conabatur ac schisma inire; parum sane in Græcorum subtilitate versati, ex Africanis qui Ecclesiæ auctoritatem rejiciebant, non disputationibus doctis nec legum cavillationibus hæresim meditabantur, sed aspere ac repente dissolvebant consociationem. Verum ad Caldonium et Herculanum quos collegas vocat et ad Rogationum Numidicumque quos compresbyteros declarat, ut ab Ecclesia deterrerent rebellantes ille scripsit[2]. Cujus mandata sunt assecuti sententia quam legere etiam num licet[3]. At vero his nervis, illi animi firmitati clementiam ac lenitatem summam miscuit, namque rebelles qui placidos et molles sese dederunt, non tantum benevole accepit, sed illis et amicissimis et familiarissimis usus fuit[4].

Philippo vero imperitante, cum pace res christiana frueretur, episcopi elucebat animus in hominibus ad honestas artes informandis. Ut disciplina sua Quirinum imbueret, sacris e libris excellentissima libavit[5]; quem Gallicanos adolescentes eruditurus,

1. Pontius, V.
2. *Epist.* XXXVIII, ann. CCLI.
3. *Epist.* XXXIX.
4. Pontius, c. V.
5. *Testimoniorum libri tres.*

optime consecutus est Rollinus noster, insignis juventutis præceptor. Scripturarum igitur verba usurpans atque disponens, Christi religionem fideliumque officia explanat. Una factis bonæ vitæ instituendæ suis ipse documentum atque exemplum erat; nempe « quemadmodum se gesserit quis referre sufficiat? Quæ illi pietas, qui vigor, misericordia quanta cum censura? Quid autem circa pauperes episcopus faceret, quos catechumenus diligebat[1]? » Sed et illius virtus atque animi firmitudo mox erat probanda. Philippo enim cum filio a militibus necato, anno CCXLIX, Decius qui ejus loco imperii tenuit clavum, in Christianos crudelitatem exercuit. Vix invectus urbem triumphans, leges tulit sævissimas. Nihil immanius, nihil truculentius quam in Christianos judicia, quam et populi et proconsulum furor. Carthago vero magistratu romano tunc carebat; sed plebs in episcopum ferocior invehebatur; et jam frequentibus clamoribus *Cyprianum ad leonem* petebant[2].

Attamen vir ille de se et de suis humiliter ac modeste sentiens, non tam plebis immanitati quam Christianorum labanti disciplinæ calamitatis causam attribuere. Mores igitur ad quamdam mollitiem lapsos, e pristina virtute aliquid suos remissos Cyprianus conquestus, ut ita recoquerentur homines fore

1. Pontius, VI.
2. Pontius, VII, et Cypr., *Epist.* LV, *ad Cornelium*.

sperabat, de sorte sua impavidus, timore licet pro Carthaginiensi ecclesiâ non vacuus esset. Primævæ igitur Ecclesiæ disciplinam imminutam deplorans, auri famem ac vitia quibus ad divitias inflammati laborare solent, hujusce et temporis et terræ commune malum, gravissimis verbis persequitur. Qui ergo res asperas facile tolerarent, iis otium oneri fuit; pecuniæ cupido multorum malorum quasi materies, crevit. At Carthaginiensium mores quæ explicant ea referre juvat.

Diuturnæ ergo pacis securitas ad delectationem Ethnicorum luxuriosi cultus atque pecuniæ quæ commoditates vitæ præbet ac jucunditates, permultos traduxerat. Unde cum fortunas sitirent, pristinæ consuetudinis obliti « studebant augendo patrimonio, ampliandisque incubabant facultatibus. » Ex quo, neque in sacerdotibus devotio perfectior, neque in ministris integrior fides; in viris « corrupta barba, » in mulieribus « forma fucata » et « capilli mendacio colorati » mores ad mollitiem labantes comprobabant. Antiquus Pœnorum morbus, perjurium in Christianorum mentes sese ut venenum lente epotum sensim insinuabat. Imo negotiosum apud populum, qui, bello destitutus, potissimum commercio exercendo et superbiebat et delectabatur, quibus naviculariam facere honori erat summo, plurimi videbantur episcopi, « divina procuratione contempta, procuratores rerum sæcularium fieri, derelicta cathedra, plebe deserta, per alienas provincias oberrantes negotiationis quæs-

